EILHARDI LUBINI
IN
Q. HORATII FLACCI CARMINUM VEL ODARUM
LIBRUM III
PARAPHRASIS SCHOLIASTICA NOVA:

In quâ retentis Poëtæ verbis, ijsq; pedestri sermoni insertis auctor hic gravißimus plenè explicatur.

ROSTOCHII
Ex Typographiâ Christophori Reusneri,
ANNO
M. D. XCVIII.

EXIMIAE VIRTUTIS AC DOCTRINÆ IUVENIBUS *JOANNI ET LAURENTIO* HAGEMEISTERIS

Fratribus Germanis

Lectisimis Politisimis Discipulis meis carisimis.

INTer illos mortales, fratres lectisimi, qui non sibi, sed communi omnium hominum utilitati natos sese arbitrantur, non ultimi aut postremi mihi semper visi sunt illi, qui in hoc humaniorum litterarum contemtu, in ingruente rursus barbarie, dum omnes ad opes & honores vento, quod dicitur, & remigio feruntur, vitâ, & studijs suis imminenti malo resistunt, & illa juvenibus inculcant, non quæ ad opes aut honores aucupandos prosint, sed quibus lingua & pectus ad virtutem & Sapientiam informetur, ut juxta Horatium sapere & fari posint, & juxta Platonem DEO GRATA DICERE, GRATA FACERE. Inter quos si ego quoq; jure meo ac merito quondam recenseri possem, equidem mihi non frustra natus, & vita functus atque defunctus viderer, & illud quod inter mortales paucis obtigit, consecutus. Verum illud non immerito hic mihi dolen-

dum, quod ego illa velim, quæ alij possent. Interea me consolatur, quod si ultra non datur, saltem quadã tenus, ut cum hoc vate loquar, prodire liceat. Documento esse poterit hic Horatius, eximius

Moribus antiquis - vel vivendi vel loquendi - (si quis rectè illum legat) magister, quem hic pedestri sermone, ita tamen, ut sua sibi verba retineat loquentem introduco, cujusque tertium odarum librum jucundissimum vobis inscribo. Quo illud successu à me factum, aliorum esto judicare. Mihi equidem studium & voluntatem vobis, alijsque, quibus in hoc virtutis & Sapientiæ studio & stadio sudatur, gratificandi nec hactenus defuisse, nec porro defuturam verè magis, quàm arroganter dixero. Bene & feliciter valete, & hunc vobis auctorem commendatum habete, dignum profectò vestræ sive ætati, sive studio, certè ingenijs vestris politissimis. RostochI, 5. Idus Martij, Anni 1598.

V. Studiosissimus

Eilhardus Lubinus.

IN Q. HORATII FLACCI
ODARVM VEL CARMINVM LIBRVM III.
PARAPHRASES.

ODA I.

Non opibus aut honoribus, sed animi tranquillitate vitam beatam effici.

HÆC quæ ex mediâ Philosophiâ petita de animi tranquillitate & Beatitudine vitæ humanæ Mysteria dicturus sum, illis tantum dico quibus fas est, Sapientiæ sacris imbutis: At rudes, indoctos, plebejos, pravisq; opinionibus corruptos, qui manibus & pedibus illotis hæc sacra contaminabunt, atq; adeo profanum vulgus odi ac detestor, & ab hisce sacris excludo & arceo. Vos autem cælestibus hisce sacris initiati linguis & animis favete, bona verba dextri ominis loco dicite, animis auribusq; attendite & silete, Ego enim Horatius, qui Musarum sacris initiatus sacerdos & Poëta sum, virginibus & pueris teneris, nullis pravis opinionibus corruptis, sed puris adhuc, carmina Lyrica in Latinâ linguâ non prius audita canto, quibus ad virtutem & beatitudinem, animiq; tranquillitatem à teneris unguiculis confirmentur, & conformentur. Cum igitur variæ hominum sint & fortunæ & conditiones, alij alijs potentiores, & honoratiores, omnes tamen & DEI & fati potentiæ æqualiter subjecti sunt. Et regum quidem & terræ principum vel propter potentiam, vel propter crudelitatem à subditis timendorum regnum & imperium est in proprios greges & subditos: At ipsius Iovis optimi & maximi

Deorum, qui ob triumphum, de *vastißimis & robustißimis* Gigantibus *devictis & fulmine prostratis* clarus est, quique supercilio, *oculorumq́; nutu cælum terram, &* cuncta *deniq́; quæ in mundo sunt* movet, *& concutit, regnum &* imperium est in ipsos reges; *& quidquid minor ab illis timet & expavescit, hoc major cæli & terrarum dominus ipsis minatur. Omne enim hujus mundi regnum sub illo cælesti majore & ampliori regno constitutum est.* Est *eijam, & fieri potest, ac contingit,* ut *alio* viro *alius* vir *ditior ac diligentior vitium plantator sit, &* arbusta *humilioresq́; arbores, ad quas vites connectuntur in* sulcis *foßis ac scrobibus* latius *ampliusq́; serat, plantet, &* ordinet; *ut* hic *vel alius quispiam honoris ac magistratus cujusdam petitor ad comitia* in Campum *Martium* descendat generosior *& nobilior, quàm alius quispiam com*petitor; *ut* hic *aut alius quispiam non nobilitate, sed virtute & rectè factis ad eosdem honores* contendat, *&* moribus atque famâ melior: *ut deniq́;* illi clientium *togatorum* turba, *atq́; multitudo, quæ se dominum officij gratiâ mane salutent, & comitentur,* major sit, *atq́; copiosior: Hoc, inquam, fieri potest ut variæ fortunæ & conditiones hominum sint; At moriendi inevitabilis* necessitas æquali lege *& conditione* insignes & imos, *illustres & obscuros, divites & pauperes* sortitur: *& fatalis* urna, *quæ omnium hominum nominum* capax *est,* omne *hominũ* nomen, *quicunq́; in mundo vivũt,* movet, *agitat, & postea sorte, ut moriatur, educit. At verò, ut vel maximè aliquis in amplißimis honoribus, in maximis divitijs constitutus sit, vera gaudia, veramq́; animi tranquillitatem & beatitudinem consequi non potest, cui moriendi neceßitas semper ante oculos sit posita, qui suis pravis adfectibus & cupiditatibus impietate, & scelere de verâ beatitudine deturbetur. Cujus rei documentum habemus in Dionysio Siciliæ tyranno, Quem cum Damocles assentator in summis opibus & dignitatibus constitutum tanquam omnium mortalium beatißimum impensè laudâsset: jussus est à Dionysio suæ felicitatis periculum facere. Qui cum in solio regis collocatus, omnia magnificè instructa & apparata videret, felix & beatus sibi videbatur, At postquam in medio apparatu fulgens gladius è lacunari setâ equinâ appensus in caput Damoclis dimitteretur: Ibi metu mortis perterritus, omnisq́; magnificentiæ oblitus miserrimus sibi videbatur, exorabatq́; tyrannum ut abire sibi liceret, ut qui beatus esse nollet. Ita qui maximis hujus mundi admotus impius & sceleratus more*

tyran-

tyrannorum timet & timetur, & cui *eodem modo* ensis *aliquis* districtus *& evaginatus* super impiâ cervice pendet *jam jam in subjectum caput procubiturus: illi metus omnes delitias, omnia gaudia contaminabit: ille nullâ unquam sincerâ voluptate adficitur; illi* nullæ dapes Siculæ, *quantumvis exquisitißimæ & delicatißimæ* dulcem saporem *vel omni arte adhibitâ* elaborabunt: *illi* non aves *canoræ* & cantus citharæ *jucundißimus* somnum *facilem* reducent, *sed in aureis lectis & ostro Tyrio ab uno latere in aliud se devolvet, metuq; scelerum ac pœnarum dormire non poterit. At contra quanto melior conditio tenuiorum & rusticorum: illi enim pectora secura gerunt; qui pocula è patulâ fago tornata tenent, sed manu non trepidâ propter insidiarum, vel veneni metum, ille faciles viles & parabiles cibos carpit, sed interea strictos enses è lacunari dependentes, vel à tergo imminentes non respicit.* Somnus *etjam* lenis, *gratus, amabilis, & facilis* non fastidit *& nauseat* agrestium virorum humiles domos *& casas ingredi*; nec *contemnit* umbrosam *aliquam* ripam *prope limpidum fontem sitam; neq; loca nemorosa & jucunda, qualia* Tempe *sunt in Thessaliâ à* Zephyris *mitißimis ventis* agitata *& perflata, in quibus rusticus in cespite aliquo prostratus jucundè & securè dormiat. Nimirum ille qui modicis rectus contentus vivit, ille verâ animi tranquillitate & beatitudine in vitâ humanâ perfruitur.* Qui *enim non majorem famem quàm ventrem habet, & illud* quod *in vitâ hominum* satis est *solummodo* desiderat; *ille per extrema vitæ pericula se ac sua pelago non committit*; illum mare *fluctibus & tempestatibus* tumultuosum non sollicitat *& perturbat*, nec sævus *ille ac violentus* Arcturi occidentis, ut nec hœdi, *in dextra manu* Erichthonij exorientis impetus *maximas tēpestates concitans, metu naufragij in mari exanimat; Illum* vineæ grandine verberatæ *& tempestate adflictæ, & hoc anno fructum* nōn *laturæ luctu & mærore non conficiunt; Illum deniq;* fundus mendax *non adfligit, qui maximos anni proventus pollicitus non præstat, nec votis exspectationiq; avari respondet*, cujus arbor nunc *tempestates nimias, pluvias, &* aquas culpat, nunc sidera *æstum producentia, suoq; calore* agros torrentia, nunc hiemes *graves, &* iniquas *quibus impedita fructum producere non potuerit. Sic est, qui rebus suis modicis contentus vivit, ille animo semper tranquillo est, nullâq; re perturbatur: Non autem ille, qui ex inauditâ ædificandi luxuriâ terras pertæsus ipsum mare ædificijs construit. Jam enim quæ hominum in-*

solentiâ & effrænatâ luxuriâ in altum *mare* molibus *immensis conjectis, & ædificijs super exstructis ipsis piscibus injuria infertur, qui* pisces æquora contracta, *angustiora, & arctiora* sentiunt, *quàm par est.* Nam redemtor, *qui opus faciendum suo periculo certâ mercede constitutâ assumit,* cum famulis *operarijs suis conductis*; & dominus *luxuriosus qui* terræ *jam* fastidiosus *est,* huc *in mare* frequens *& assiduus lapides rudes & cæsos aliaq;* cæmenta *ad ædificij fundamentum* dimittit *ac proijcit, ibiq; magnifica ædificia exstruit.* Sed *quamvis mare ingressus inhabitans terras deseruerit, se interea, suosq; adfectus, qui tranquillo ac quieto animo eum esse non permittunt, non reliquit, nec deseruit.* Nam timor, minæ, *iracundia, cupiditas, libido, spes, alijq; adfectus* eôdem scandunt, quò dominus, *eundem locum petunt, quem dominus, cumq; perpetuò comitantur,* neque atra cura *ac sollicitudo si dominus navim conscendat de navi* triremi, æratâ, *ferroq; munitâ* decedit, *& abit*; & *si equum conscendat, etjam* post equitem sedet, *& possessorem suum semper post tergum sequitur comes certissima. Quorsum igitur tam immensæ divitiæ, tam amplissimi honores, si beatitudinem & felicitatem comparare non poterunt, sed potius animi tumultus & perturbationes excitant: Et quorsum me fortunæ meæ pæniteat, qui beatus & tranquillus esse possum?* Quod si *sollicitum & avarum morbo laborantem &* dolentem *nec eximia ædificia,* nec Phrygius lapis *& columna marmorea* delenit, *aut dolorem mitigat:* nec purpurarum usus *atq; amictus splendidissimus, quæ* sidere clarior *refulgeat, perturbatam mentem recreat*: nec Falerna vitis, *& vina Campaniæ nobilissima animi morbis medentur, nec deni*que Achemenium *Persicum* costum *aut nardum unguentum præciosissimum animo perturbato serenam tranquillitatem potest inducere: Quorsum illa mihi omnia per tot labores, ærumnas, & pericula acquisita, cum paucioribus & vivere, & benè vivere possim?* Et cur *ego non contentus meâ domo* invidendis *& ambitiosis* postibus *columnisq; marmoreis,* & novo ritu *ac invento splendidum ædificium ac* sublime atrium *ac palatium exstruere* moliar? *&* cur divitias *majores &* operosiores, (*quibus & parandis & conservandis plures & labores, & curæ debentur*) *cum villâ meâ rusticanâ in* valle Sabinâ *positâ* permutem, *cum illa ad vitam beatam & tranquillam agendam abundè mihi sufficiat.*

ODA

ODA II.

A puero tolerandæ paupertati & laboribus adsuefaciendum esse.

Quoniam ita naturâ comparatum est, ut virtutis ac fortitudinis nunquam molle sit documentum, & vivere nostrum militare sit, in quo pro patriæ salute multum laborare, multum sudare, plurima perferre ac pati oporteat, ad laboris ac paupertatis patientiam & continentiam maturè confirmandi & conformandi sumus. *Quare* puer *ac juvenis* Ro*manus ex* acri, *acerbâ, laboriosâ. & difficili* militiâ *diu exercitatâ validus ac* robustus *famem, inediam, sitim, frigus, æstum, & deniq; fortitudinis bellicæ basin* angustam paupertatem *libenter tolerare & amice atq; benignè perpeti* condiscat; & Parthos, *aliosq; imperij* Romani *hostes truculentos, bellicosos, &* feroces eques hastâ *ac jaculo* metuendus vexet, *atq; agitet:* vitamque *non in thalamo aut plumis, sed* sub dio *sub puro aëre nocturno tempore,* & in rebus trepidis, *formidabilibus & horribilibus* agat *& traducat: Atq; ita se gerat, ut etjam hostibus è longinquo spectantibus terrorem & metum incutiat: atq; adeo* matrona *conjux alicujus barbari* tyranni *& regis cum Romano populo* bellantis, & adulta virgo *alicui regio sponso desponsata* illum *eminus* ex hosticis mænibus *à Romanis obsessis, indomitâ animi rabie & fortitudine obvios hostes posternentem, metu ne maritum quoq; aut sponsum interimat,* suspiret, *& in hæc verba ingemiscat:* Eheu? Ne *maritus aut* sponsus *meus* regius, *molliter educatus, belloq; parum aptus & adsuefactus, & hostilium* agminum rudis *& ignarus, in conflictu in* asperum *illum, & truculentum militem tanquam* leonem *incidat, illumq;* tactu *provocet, irritetq;, & ad sui interitum* lacessat; quem cruenta ira, *& hostilis animi rabies* per medias *hostium* cædes rapit *atq; impellit.* Nimirum pro patriâ *fortiter pugnare, & pro Deorum immortalium templis, aris, & focis à majoribus nobis traditis* mori dulce *pariter* & decorum est, *& apud inferos* Elysij *campi beatorum sedem, apud superos æternam gloriam, nominisq; immortalitatem promeretur: At contra in bello fugere, & abjecto clypeo stationem suam deserere turpissimum est, & æternam ignominiæ notam inducit: utiq; cum fugientibus etjam moriendum sit, & maximum illis in bello sit periculum, qui timent maximè.* Nam mors fuga-

cem etjam virum persequitur, & juventæ *ignavæ ac* imbecillis poplitibus, & *meticulosorum juvenum ad fugiendum, quàm ad pugnandum aptiorum* timido tergo non parcit, *dum à sequentibus hostibus aversis & inhonestis vulneribus confecti nihilominus mori coguntur. Quid autem majus & excellentius in vitâ mortalium cogitari potest hâc fortitudine bellicâ, & virtute?* Et virtus *quidem omnibus rebus humanis anteit. Quippe hanc qui habet, omnia habet, quæ seipsâ contenta nullos honores ambit, atq; ob id turpis & infamis,* sordidæq; repulsæ nescia, *suis proprijs* honoribus *incorruptis &* intaminatis, *non largitionibus, corruptelis, alijsq; malis artibus adquisitis,* fulget *& resplendet, suisq; proprijs bonis gaudet, non illis, quæ aliena sunt,* nec secures *aut fasces Præturæ, Consulatus, aut Dictaturæ, aliosq; summos honores & magistratus* sumit aut deponit popularis *favoris,* auræ, *aut gratiæ* arbitrio, *quo nihil inconstantius aut mobilius; sed suis bonis æternis ac immobilibus acquiescit.* Virtus, *inquam, & fortitudo, quæ nunquam ad Stygias undas rapietur,* quæ illis, qui *ob egregia sua facta, & præclara in mortales merita* immeriti *& indigni* sunt ut moriantur, *ipsum* cælum *aperit &* recludit, *inque illud* iter viâ *alijs ignavis ignotâ ac* negatâ tentat *atq; ingreditur: viliumque hominum in terris degentium* vulgares cætus *& conventus,* atque *adeo hanc omnem* humum *turbidam, cœnosam, &* udam *veloci suâ* pennâ *è rebus mortalium* fugiente *& supra terrena altè in cælum sublevatâ* spernit *& ex alto despicit. Hæc eadem virtus etjam secreti tenax* est, *& quæ arcana sub silentij fide ipsi concredita sunt, illa non eliminat.* Nam & fideli silentio *sua certa præmia, sua* tuta merces est *proposita Certè quo nemo in vitæ incommoda pericula & discrimina unquam pervenit. Nimirum* si quis *tacere nesciat,* & Cereris arcanæ sacrum *religiosissimo silentio condendum di*vulgârit, *hunc ego cane pejus & angue odi, meoq; consortio ipsum interdicam, &* vetabo ut sit *mecum* sub ijsdem trabibus *ædificij, & sub eodem tecto;* & fragilem Phaselum *navem longam ac velocem* mecum *ascendat & navigando* solvat: *ne & ego unà cum homine impio & scelerato à Dijs puniar. Nam justissimus ille,* Diespiter *non ritè cultus aut* neglectus, *aut aliquo improbo facto offensus & iratus* sæpe *virum bonum &* integrum *viro* incesto *& scelerato puniendo conjunxit, &* addidit: *& universa sæpe civitas unius viri scelere punitur. Nemo enim hominum qui sceleris cujusdam reus est suam pœnam effugiet: & nemo crimen in fronte gerit, qui non Nemesin habeat in ter-*

go; Et *vindicta aut* pœna *quæ tarda est, & pede claudo sceleratorum vestigia è longinquo insequitur, illa præeuntem &* antecedentem scelestum raro, *imo nunquam* deseruit: *Imo illa non à tergo sequitur, sed à fronte præcedens sceleratum exspectat, & tarditatem supplicij gravitate compensat.*

ODA III.

Virtute præditum nullâ re perturbari. Oratio Iunonis, ex eversa Trojâ Romam initium capturam esse.

N*Ihil in cælo tam horrendum, nihil in terris tam formidabile est, quod virum bonum concutere & perturbare possit. Adeoq; nec vehemens seditio & furor, atq;* ardor civium *qui solâ vi innixi cum æquo & bono pugnant, iniquas leges ferentium, atq; omnia* prava jubentium; Et vultus *terribilis ac truculentus alicujus* tyranni, *ferro ac flammis, & horribili tormentorum apparatu urgentis ac* instantis, *& ad iniqua compellere volentis;* nec *meridionalis ventus* Auster *suis fluctibus & procellis horrendus, quas tanquam* turbidus dux *& arbiter* Adriæ *tumidi &* inquieti *in mari supero concitat;* nec *deniq;* magna manus, *& immensa dextera* Iovis fulminantis *& omnipotentis; & quidquid præterea in mundo sævum & violentum est* virum *bonum ac* justum, *honestique* propositi tenacem (*cui in totâ vitâ animo fixum ne transversum quidem unguem à rectâ sententiâ discedere*) *à* mente *fixâ &* solidâ, *ab animi sententiâ firmâ & constanti, & deniq; ab honesto proposito* quatit, *removet, & deturbat. Quin etiam* si *universa mundi machina dissoluta, aut orbis* cœli fractus *& concussus ruat, procumbat, aut* illabatur: *tunc illæ mundi* ruinæ *obruent quidem &* ferient *virum bonum & constantem, sed interea tamen* impavidum, *inconcussum, & imperterritum. Nimirum hæc illa via est, quâ iter ad cælum patet; & hoc animi inderitto robore,* hâc, *de quâ dixi,* arte *ac virtute, hâc inexpugnabili firmitudine & constantiâ fultus &* innixus *Iovis & Ledæ filius Castor &* Pollux; & vagus *ille Iovis & Alcmenæ filius* Hercules (*qui monstrorum profligator omnem mundum peragravit*) *post tot ærumnas &*

labo-

labores tandem finem & portum arces igneas stellati ætheris attigit, inq; cælum inter sidera relatus est: Inter quos duos Herculem & Pollucem Divus Octavius Augustus in cælum propter egregia sua in mortales merita receptus recumbens, ore suo purpureo & rubicundo Ambrosiam Deorum cibum comedit, & nectar Deorum potum bibit. Hâc etiam arte, hâc virtute & animi firmitudine te, ô Bacche pater, præmium immortalitatis merentem tuæ Tigres & Lynces animalia ferocissima tuo munere domita & mitigata in cælum usq; subvexerunt: Tigres, inquam, & Lynces quæ collo ad parendum insueto & indocili tamen à te subacta jugum trahunt, tuamq; immensam potentiam demonstrant. Hâc deniq; arte, hâc virtute, & animi constantiâ invictoq; robore Romulus post mortem Quirinus dictus, & inter Deos relatus, sui parentis Martis equis, hoc est virtute & fortitudine bellicâ Acheronta, Stygias inferorum undas effugit, & evitavit. Romulus, inquam, Quirinus, idq; in pleno Deorum immortalium concilio cum Iuno, Trojanorum & Romanorum, qui à Trojanis oriundi, infensissima hostis suo suffragio id ipsum comprobásset. Quippe cum Divis inter se conciliantibus & deliberantibus, ecquid Romulus in cælum recipiendus esset, Iuno rem gratam & cum æquitate consentaneam in hunc modum elocuta esset: O maxime Deorum Iupiter, frater & conjux, & reliqui Dij immortales, incestus ille & sceleratus Paris Alexander, qui suæ patriæ exitialis & fatalis, quondam sinistro omine judex constitutus inter Me, Palladem, & Venerem; illam Venerem nobis spretis & contemptis prætulit; & mulier Græca Lacedæmonia, non Trojana sed peregrina, ipsa adultera Helena, Ilium, antiquissimam urbem Trojam vertit, & in ruinam cinerem & pulverem dedit; Ilion, inquam, quod & mihi Iunoni & castæ Minervæ, eo quòd ambæ in judicio Paridis contemptæ simus, & amantes castitatis vagas libidines Paridis & Helenæ punitas velimus, ex meritò unà cum populo Trojano, & duce ac rege ejus Laomedonte fraudulento & perjuro, damnatum invisum & exosum est, ex toto illo tempore, quo Laomedon rex Trojanus Ilus filius Priami pater toties perjurus Deos Apollinem & Neptunum pactâ & constitutâ mercede nefariè destituit & defraudavit: Nempe cum illi cum Laomedonte pepigerunt, se urbem Trojanam pro certâ mercede exædificaturos, mercedem illam perfecto opere fraudulenter ipsis denegavit. Iam vero urbe Trojanâ dirutâ, & in cinerem datâ, illud scelus satis superq; in posteris punitum, meæq; iræ satis factum est. Nam famosus ille hospes

ſpes Lacena adulteræ *Helenæ ipſe Paris, (qui hoſpitij jure nefariè violato hoſpitam ſuam Menelaj Lacedæmoniorum regis conjugem volentem ſecum abduxerat,) poſtquam jam captâ Trojâ à Neoptolemo trucidatus eſt, jam* non *amplius,ut antea* ſplendet *& refulget : jam* non *amplius numeroſa illa familia &* domus Priami, *Laomedontis parentis* perjurio polluta Achivos *meos bellicoſos &* pugnaces Hectoreis opibus, *fortitudine, & auxilijs* refringit, *atterit, & debilitat, Trojanosq; ſuos in decimum uſq; annum indevictos præſtat :* Et *deniq; illud Trojanum* bellum *quod* noſtris *Deorum, diſcordijs diſſenſionibus &* ſeditionibus *in decennium* productum eſt, *Illud, inquam, bellum jam* reſedit, *compoſitum & finitum eſt ; nihilq; reſtat quod me amplius ad iracundiam commovere poßit. Quacirco ego jam porro* graves iras *& ſimultates meas* protinus *remittam,* & *Romulum Quirinum* inviſum *illum meum ex filio Marte* nepotem, quem *Rhea Ilia* à Trojanis oriunda *Veſtæ* ſacerdos *ab Amulio patruo conſecrata* peperit, *ſuo patri* Marti, *filio meo* redonabo, *illumq; ut pro filio habeat concedam,* egoq; patiar illum *Romulum* lucidas *cælorum* ſedes introire, *in cælum inter ſydera referri, ibiq; ſuaviſsimos* Deorum *potus* nectaris ſuccos *& liquores bibendo educere,* & *ſecuris* quietisq; Deorum ordinibus *& concilijs* adſcribi. *At hâc tamen conditione,* dummodo *Roma longiſsimo intervallo à Trojanâ urbe remota ſemper ſit, & nunquam moribus & vitâ ſuâ Ilio ſimilis evadat. Etenim dummodo* longus Pontus, *& vaſtum mare interjectum, & medium* inter Romam & Trojam *immenſis fluctuum molibus ſemper* ſæviat *& æſtuat : tum ſanè Helenus, Antenor, Æneas & alij Trojani exules* in quâlibet *terræ* parte, *omnibusq; mundi regionibus* beati *& felices* regnanto, *nihil impedio & contradico ; & dummodo in campis, ubi Troja fuit, perpetuò deſertæ ſilvæ ſint & inculta ſolitudines, & dummodo Troja [illegible] deſerta devaſta & inculta maneat, ut ibi [illegible] greges & armenta paſcantur, &* Priami Hectoris Paridisq; buſto *ac ſepulchro* armentum, *liberè ſuperragetur &* inſultet, *eoque tanquam latibulo vel luſtro ipſæ* feræ inultæ *ſecuræ, & impunitæ ſuos* catulos celent *& tutæ occultent : Tunc ſanè* Capitolium *urbis Romanæ auratum* fulgens *& coruſcans* ſtet *& vigeat,* & Roma ferox, *armis invicta, & inſuperabilis Parthis* Medis *alijsq; exteris gentibus à ſe bello devictis &* in triumphum abductis *tanquam victrix* jura poſsit dare, *& leges præſcribere ac imperare. Quin illa vicinis gentibus* horrenda *& formi-*

C *doloſa*

dolosa longè lateq; *potentiæ ac famæ suæ* nomen in ultimas *terræ* oras *porrigat &* extendat, *ad Africanos & Ægyptios usq;*, quà *intermedius maris mediterranei* liquor, *& vastum mare interjectum* Europem ab Africâ *dividit &* secernit: quà Nilus *Ægypti fluvius* tumidus *& exundans quotannis* arva *irrigat, & limum secum trahens fertilia reddit. Roma, inquam, universi orbis caput sit, dummodo avaritiâ, impietate, alijsq; sceleribus ab hâc felicitate non transversum abripiatur*, Et fortior *magisq; munita sit, hoc ipso, quòd* aurum irrepertum *& nondum visum*, (& sic cum terra *illud adhuc* celat *& abscondit*, meliori loco *in terræ visceribus* situm, *quàm cum inter homines versatur*) *alto animo possit* spernere *& contemnere*; quàm *Deorum immortaliuum imagines & simulacra*, *&* omne *deniq; gentium à Romanis devictarum* sacrum, *vi bellicâ, &* rapiente dexterâ in humanos usus cogere, *& Dijs consecrata ad res necessarias, aut etjam ad voluptatem convertere, & non sine impietate profanare. Atq; adeo urbium caput Roma suis* armis, *suâq; potentiâ etjam ad mundi fines penetret, &* quicunque mundi terminus *ipsi* obstitit *& rebellavit*, hunc *exercitu* tangat *petat & subigat*: *Roma, inquam*, quæ *omnes terræ plagas* visere *& devincere* gestiat; *nempe non solum temperatam regionem, quam inhabitat & subegit; sed torridam etjam terræ partem Æquinoctiali & duobus* Tropicis *subjectam & interjectam*, quâ parte ignes debacchentur, *& ingens solis æstus sæviat, terramq; inhabitabilem torreat: & alteram terræ partem sub duobus circulis Arctico & Antarctico sitam*, quà *parte tenebræ*, nebulæ, *tempestates*, roresque pluvij, *grandines & nives sæviunt & debacchantur*. Sed *tamen* bellicosis *illis Romanis* Quiritibus, *sua* fata *suasq; futuras felicitates*, hâc lege *& condicione* edico *sancio & constituo*, ne nimium pij *& religiosi*, rebusque *secundis* confidentes *antiquæ &* avitæ Trojæ tecta velint reparare; *ne scilicet dum in illis reparandis suis parentibus justa volunt præstare, contra Deos parum religiosi sint; dumq; volunt pij esse in parentes, impij sint in Deos, & priscæ Trojæ moribus, perfidiâ, rapinâ adulterijsq; repetitis Deos offendant, cosq; ad pœnas à se sumendas instigent. Nam fatum &* fortuna Trojæ *æternùm infelix erit, cujus fortuna si sinistro auspicio*, lugubri *& infelici* alite, *inauspicatoq; omine iterum surgat &* renascatur; triste clade iterabitur, *calamitosa ruina repetetur, iterumq; ferro ac flammis vastabitur; idq;* me *Iunone magni illius* Iovis *&* conjuge & sorore *iterum* victrices *Græcorum* catervas *& copias ad*

Tro-

Trojam delendam adducente. Quod si *vel* murus aheneus *longè validißimus, idq́;* auctore *&* *conditore* Phæbo *&* *Neptuno* ter resurgat *&* *reædificetur :* ter *à Græcis* Argivis meis, (*qui in meam gratiam Trojam jam ante deleverunt*) *ille murus* excisus, *eversus, & radicitus evulsus rursus* pereat ; *quotiesq́; reparatus fuerit, toties rursus deleatur, &* uxor *Hecuba vel Andromacha* capta *suum* maritum *Priamum vel Hectora, suosque complures* pueros *occisos* ter *lugeat &* deploret. *At verò* hoc, *quod tracto, grande, sublime,* Heroicum, *&* Tragicum non conveniet *humili, &* jocosæ lyræ, *quâ res ludicræ & jucundæ tantum tractantur.* Quò *igitur* tendis, *ò* Musa? *quin tu te revoca, ô nimis audax,* pervicax, *procax, & arrogans, &* desine *Iunonis de fato urbis Romanæ, aliorumq́;* Deorum sermones referre, & *illa tanquam* magna *hisce* parvis modis *& modulationibus lyricis* attenuare *potius & deterere, quàm illustrare & exornare.*

ODA IIII.

AD CALLIOPEN.

Se Musarum ope à multis periculis esse ereptum. Malè cessisse, qui quid contra Deos moliti sint.

R*Egina Musarum formosißima* Calliope, *quæ & vultus amœnitate, & cantus suavitate reliquas sorores antecedis :* Age descende de cœlo, & *beatas cælestis regni sedes aliquandiu relinque, & cum* tibiâ *instrumento Musico suavißimâ,* (sive nunc mâvis acutâ, *liquidâ, & sonorâ* voce, seu *canoris chordis aut* fidibus & citharâ *lyrâve, quæ à Mercurio inventa* Phœbi *munere tibi concessa est*) dic longum *aliquod carmen & prolixum* Melos. Auditis *ne, ô sodales,* Calliopen *illam Musam à me invocatam jam canere, mihiq́; præsto esse ?* An *vero* amabilis insania, *& delectabilis ille Poëticus furor* me ludit, *ac decipit, suoq́; instinctu falsa vocis simulacra mihi obijcit ?* Certè *ego Horatius* videor *mihi Calliopen Musam canentem* audire ; & per *sylvas Musarum numinibus consecratas &* pios *illos Camænarum* lucos, quos amænæ aquæ *scaturientes,* & *mitißimæ* auræ *ventiq́; interspirantes*

ſubeunt, *præterfluunt, & perſpirant*, errare, *& paſſim diſcurrere. Neq; aliquis hoc mirum exiſtimet, aut in dubitationem vocet.* Nam *ex prodigio quodam, quod mihi puero olim obtigit, hoc mihi quodammodo fatale videtur, ut Muſarum conſortio ſemper perfruar, & earundem præſidio etjam in locis periculoſiſſimis tutus ſim, & ſecurus. Quippe ſilveſtres columbæ* palumbes me *Horatium quondam* puerum ludo *puerili puerorum more* defatigatum, & ſomno *urgente feſſum, dormientem* extra limen *& terminum* Apuliæ altricis *meæ patriæ* in Volture Apulo *monte*, novâ *viridiq;* fronde *lauri myrtiq;* texêrunt, *& cooperuerunt. Nimirum* quod *vicinam regionem inhabitantibus prodigioſum videretur; &, quod præſagium* omnibus quicunque Acherontiam *Lucaniæ civitatem* excelſam *in ſummitate montis* tanquam nidum *poſitam, & ſylvas* ſaltusque Bantiæ *civitatis Apuliæ, Venuſinis conterminæ*, & pingue arvum *atq; ſolum* Ferenti *Apuliæ opidi* humilis *& in valle poſiti*, tenent, *& inhabitant* mirum foret, ut *ego in adeo periculoſo loco liberatus eſſem, & quomodo* tuto corpore dormirem ab atris *& venenatis* viperis, & urſis *regionem illam infeſtantibus*: *Quî ego* infans non ſine Deorum munere *ac numine adeo audax &* animoſus *eſſem, ut me loco adeo periculoſo committerem, ibi*que lauro *Apollini ſacrâ* & myrto *Veneri conſecratâ à palumbibus in corpus meum congeſtâ &* collatâ premerer, *tegerer, & defenſarer.* Sanè *ubicunq; ſum, veſter ſum, ô ſanctiſſimæ Muſæ, Veſterq; ero donec ero, vivam & moriar*: *Quicunq; etjam locus me teneat*: Veſter, *inquam*, ô Camæne, veſter *ero*; *ſive* tollor *vel recipiam me in agros & prædium meum*, in arduos *& excelſos montes* Sabinos; ſeu *etjam* frigidum *illud* Præneſte *opidum in Aretino monte poſitum* mihi *arrideat*: Seu ſupinum *illud* Tibur *in monte prono ſitum, tanquam jam jam procubiturum, habitationi commodum mihi videatur*: Seu *deniq; amœniſſimæ illæ* Bajæ *propter thermas & aquas calidas* liquidæ, *mihi* placuêre: *Veſter ſum, vobisq; æternùm devinctus, æternum devotus maneo*: *Idq; veſtro merito. Quippe vos me toties ex ancipitibus periculis liberatum conſervâſtis*: *neq;* veſtris *ſtudijs addictum, veſtris Muſarum Gratiarumq.* choris amicum *nullum quantumvis atrox periculum oppreſſit*, non acies *Bruti & Caſſij*, (*quibus olim militavi*) *quæ* Philippis *ad urbem Macedoniæ ab Auguſto Cæſare & Antonio ſuperata* retro *in fugam* verſa *fuit*; non *ſcelerata* & devota *illa* arbor, *quæ in proprio agro me dominum ſuum oppreſ-*

ſura

sura erat; non deniq; Promontorium illud Lucaniæ, ad mare Siculum, quò Palinurus Aeneæ comes submersus est (ubi è Macedoniâ in Italiam tendens in summum periculum incidi) me, inquam, non exstrinxit. Nimirum vestro præsidio, & tutelâ securo nulla pericula nocere potuerunt. Atq; adeo utcunque vos ò sanctißimæ Musæ mecum eritis, quandocunq; vos itineris & viarum comites habebo, tunc mari & terrâ loca vel periculosißima adibo: tunc vel nauta Syrtes, & Charibdin, ac Bosporum Ponti Euxini angustias propter fluctus æstum, & procellas insanientem, & formidabilem, vel viator terrestri itinere Assyrij litoris arenas vehementißimo solis calore arentes, & urentes, ob serpentes & dracones horrendas lubens & lætus transibo, & sine ullo periculo impune vestro præsidio, & auspicio tutatus, adibo. Visam etiam Britannos in ultimo occidente hospitibus advenis peregrinis feros, inhumanos, & crudeles. Visam interdum civitatis Hispanicæ Concanæ equino sanguine poto lætam [illegible]. Visam Gelonos & Agathyrsos immanes arcu, sagittis, & Pharetrâ armatos: Videbo deniq; & adibo, amnem illum Scythicum Istrum, aut Tanain, idq; incolumis, salvus, & inviolatus. Nec mihi solum, ò Sanctißimæ Musæ, maxima semper beneficia ab ineunte ætate contulistis; sed Divo etiam Augusto, Patriæ Patri, & per eum universo mundo. Nam vos alterum etiam Cæsarem Augustum totius orbis imperatorem simul atq; milites suos in hiberna deduxit, & postquam cohortes copiasq; suas equitum peditumq; longâ totius æstatis militiâ fessas & defatigatas oppidis & municipijs abscondit atque abdidit, nec in aperto campo amplius circumducit; tunc inquam, vos illum, postquam aliquandiu vacationem à militiâ habet, & labores militares finire quærit, [illegible] animo, [illegible] & [illegible], non solum optimarum literarum studio, lectione, scriptione, & [illegible] refectis & recreatis; Sed consilio etiam & prudentiâ in mundi administratione [illegible]. Vos enim, o almæ, & divinæ Musæ, vestiumq; optimarum literarum studium, quoddam lene placidum, & salutare consilium Imperatoribus & datis, & dato ob prosperum & salutarem successum gaudetis. Nimirum vestrum munus, o Musæ consilium & prudentia plus in bello valet, quàm immensæ vires quæ sine consilio, & ratione, & sine Deorum numine contra Deos insurgentes pleraq;, & suos possessores præcipitant. Cujus rei plurima passim apud Historicos exempla & documenta habemus. Ex illorum enim monumentis accepimus &

ſcimus quomodo *Deorum ille optimus & maximus*, qui terram *immobilem brutam &* inertem, *&* qui mare ventoſum *fluctibus & procellis concitatum* temperat, *mitigat & moderatur;* qui unus *& ſolus ſine ullius alterius adminiculo* urbes *in terrâ*, & regna *inferorum* triſtia *& ſilentia;* qui Divos *immortales, ſuperos, & ſemideos;* & mortales *hominum* turbas æquo imperio *cum juſtitiâ, fide, & providentiâ inenarrabili conjunctâ* regit, *& gubernat; ut, inquam, Iupiter* impios *illos* Titanas, *& vaſtam illam*, immanemque turmam *& multitudinem Gigantum ex Titano & terra progenitorum, qui contra Deos arma ſumentes cæleſte regnum affectare auſi ſunt*, fulmine *à cælo* caduco *è medio abſtulerit, & ad inferos deturbaverit. Et ſanè horrendum & anceps illud Deorum cum Gigantibus concertantium certamen fuit. Nam immanis* illa *vaſta &* horrida juventus *militum è terrâ progenitorum, non ratione vel conſilio innixa, ſed robori, valentiæ corporis*, brachijsq; *ſuis* confidens, *ipſi* Iovi magnum *metum &* terrorem intulerat, & *reliqui* fratres, *terræ filij*, olympo *vaſtiſſimæ altitudinis Theſſaliæ monti umbroſo &* opaco *alium montem* Pelion *vicinum altiſſimum* imponere, *& ita congeſtis montibus in cælum aſcendere, & inde Iovem deturbare* tendentes *atq; conantes, cælum ipſum perturbaverant.* Sed, *ut fieri conſuevit, vis & robur, initiò quidem Dijs intuentibus terrori ſunt: verum contra conſilium & prudentiam in acie collocata dicto citiùs evaneſcunt.* Quidnam *enim ille immanis viribus* Typhoëus; *quid robuſtus* & validus Mimas; aut quid Porphyrion *ille* ſtatu *ſublimi, eminenti, terribili &* minaci, (*qui arbores & ſaxa in cælum jaculabatur;*) & *vaſtiſſimus ille* Rhœcus & Enceladus, *qui* truncis *arborum una cum radicibus* evulſis audax *& temerarius* jaculator *fuit; & deniq; quid omnium Gigantum robur, & fratres è terrâ geniti ad terram* ruentes poſſent *aut valerent* contra Ægida *ipſius Iovis &* Palladis *clypeum in conflictu cum hoſtibus* ſonantem, *contra rationem & prudentiam contra conſilium & animi robur? Contra hæc quæcunq; ab hominibus opponuntur, in fumum & fuliginem protinus abeunt. Et quidem illinc à partibus inconſiderati & temerarij roboris ſtabant Gigantes:* hinc *à parte prudentiæ & conſilij in acie collocatus* ſtetit Vulcanus *pugnæ & cædis hoſtium* avidus: *qui & candenti ferro Clytium occidit;* hinc *ſtetit etjam Iovis ſoror & conjunx* matrona Iuno, *cum Porphyrione manus conſerens;* hinc etjam Apollo *ille* in Delo *inſulâ* natus, *& in* Paterâ *Lyciæ urbe* oracula edens,

qui

qui arcum *de* humeris *dependentem* nunquam positurus *est*, & Castaliæ *Lymphæ, & Caballini vel Hippocrenes fontis in Parnasso & Helicone* puro rore *& limpidissimo liquore* crines *suos per humerum sparsos &* solutos, lavit, & Lyciæ *Asiæ regionis nemora aspera, &* dumeta, *& natalem sylvam Deli Insulæ* tenet *& incolit.* *Nimirum* vis *& robur sine prudentiâ, &* consilij *rationisq;* expers suâ mole ruit, *& secum pleraq; præcipitat: contra autem ipsi* quoque *immortales* Di *robur &* vim *consilio prudentiâ & ratione* temperatam *& moderatam* in majus provehunt, *ipsiq; augmenta & emolumenta, & felices salutaresq; successus largiuntur.* Idem *Dij immortales* vires *& facultates* omne nefas, *omnia impia & scelerata*, animo moventes *& meditantes, tanquam nefarias & execrabiles* oderunt *& abominantur: nihilq; contra Deos unquam susceptum auctoribus felix & impune fuit.* *Harum* sententiarum mearum *tanquam verissimarum satis* notus *& locuples* testis *est* Gigas *ille* centimanus *Briareus, ob sceleratas suas vires à Iove fulminatus & ad inferos detrusus;* & Orion *ille venator*, Dianæ *socius, cujus* integræ *castæ intactæq; virginis* pudicitiam dum tentat, *illamq; de stupro compellat,* virgineâ *Dianæ* sagittâ domitus, *confossus, & interemptus est, æternasq; suæ impietatis pœnas apud inferos persolvit.* *Atq; ipsa adeo* terra monstris *ex se editis* suis *filijs Gigantibus imposita &* injecta *materno adfectu* dolet, mæretque *suos* partos Iovis fulmine ad luridum *pallidumq;* orcum *fulmine* demissos *& detrusos esse.* *Quid? quod illa pœna æternùm durat; nam rapidus ille &* celer ignis Æthnam *montem* impositam (*cui Gigantes suppositi flammarum globos minitabundi adhuc eructant*) non peredit, *neq; consumit.* Nec ales *illa aquila, illius libidinosi &* incontinentis Tytij (*qui Latonam stuprare volens, ab ejus filio Apolline sagittis confossus est*) jecur, *quod absumptum & statim renatum semper devorans laniat,* relinquit *& deserit: sed ejus sceleratæ* nequitiæ *ultor, vindex &* custos additus *est, ne denuò in impia & scelerata facta prorumpat.* *Et deniq; ipsum* Perithoum *Proserpinæ* amatorem (*cui cum Theseo amico convenit, nullam conjugem nisi è Jove natam uxorem ducere, quiq; inferorum regna cum Theseo ad rapiendam Proserpinam adijt*) *postquam apud inferos à Cerbero devoratus est*, trecentæ catenæ *ipsum* cohibent, *quibus æternùm apud inferos constringitur, suæq; impietatis condigna supplicia persolvit.*

ODA

ODA V.

Augusti laus. Reguli constantia, & ad Pœnos reditus.

NOs Romani hactenus ex parentum nostrorum institutione credidimus summum illum Deorum Iovem tonantem & fulminantem in cælo locum sedemq; suam habere, ibiq; regnare, mundiq; imperium exercere. At verò jam, quantum ex rebus supra humanas vires pænè à Romanis gestis, & Britannis populis in ultimo occidente habitantibus, & Persis Medis ac Parthis nobis Romanis gravibus & formidolosis jam à nobis devictis, & Imperio Romano adjectis, & subjectis conjicere licet: Divus Augustus Cæsar (cujus ductu & auspicio hæc tam præclara gesta sunt) non immeritò Divus à nobis habebitur, & Iupiter esse, inq; humanâ formâ nobiscum inter homines præsens versari reputabitur. Nimirum qui summum illud dedecus, & ignominiosam infamiæ notam ex M. Crassi cæde & militum suorum clade Romano nomini inustam, suâ virtute & fortitudine delevit & sustulit. Et flagitiosum quidem illud probrum & dedecus, & infamis turpitudo fuit, Romanos liberrimos hostibus suis servis turpissimè inservire, & affinitate cum hostibus contracta vitam suam redemisse. Itané miles M. Crassi à Parthis ignominiosâ clade affectus, se capi passus est, & Barbaræ conjugis maritus esse, ut ita vitam ab hoste emeret, sustinuit, & tàm ignominiosi conjugii turpitudinem & infamiam non veritus est? imò hostes Romani nominis soceros habuit, in illorumque armis contra Romanos consenuit, vitamq; suam turpissimè attrivit, cumq; summâ ignominiâ perjurus vixit? Proh curia & senatus populi Romani! quanta ignominia vobis illata est, quòd milites Romanos liberrimos hostibus turpissimè inservientes non prius liberaveritis, quàm Augustus illos in libertatem rursus asciverit; illorum dominis Parthis devictis & superatis! proh inversi, perversi & degenerantes militum Romanorum mores! Itane Marsus & Apulus, miles, inquam, Italus, Romani imperii oblitus; oblitus anciliorum quondam imperante Numâ instar brevis scuti è cælo delapsorum, quæ in Capitolio adhuc servata totius mundi imperium Fato apud se retinent: oblitus Romani nominis, cujus recordatione mori potius præoptâsset, quàm ignominiosè vivere: oblitus togæ suæ, quam liberi tantum induunt, & suæ libertatis

qui

usque adeo turpem servitutem ultrò subierit: oblitus denique æternæ Vestæ, ejusq; ignis, qui à virginibus servatus nunquam extinguitur, cujusq; numen tantopere Roma cultum, nos invictos præstitisset: horum, inquam, omnium oblitus, sub rege Medo, Partho & Persâ, sub ditione & imperio hostis Romani vixit, idq; Iove Capitolino, Capitolio ac urbe Româ adhuc stante & incolumi? ô incredibilem & inauditam infamiam! Nimirum hoc tantum probrum & dedecus mens illa prudens ac provida M. Attilij Reguli Consulis Romani suo exemplo caverat & interdixerat, ne quis scilicet ex captivitate liberationem speraret, sed mori potius, quàm ab hostibus capi præoptaret. Ille enim (cum toties victor tandem dolo à Carthaginensibus captus esset, Romam dimissus fuit sub fide jurisjurandi, hâc conditione ut aut liberatis Carthaginensibus juvenibus, qui Romæ captivi detinebantur compensatione mutuâ factâ Romæ maneret, aut si illud fieri non posset, rediret) Romam proficiscitur, & à fædis hisce ac turpibus conditionibus sibi propositis, quibus disciplina militaris corrumperetur (ne scilicet militi capto aliqua spes salutis esset, nec tanquam merces alius cum alio permutaretur) & ab exemplo quod in veniens futurum ævum perniciem, dedecus, damnum & opprobrium secum traheret, dissentiebat. Si nimirum captiva militum Romanorum pubes ab hostibus detenta nullâ misericordiâ vel redemtione digna judicaretur, & non periret apud hostes immiserabilis, cujus misericordiâ nemo tangeretur; quippe qui capi, quàm ad mortem usq; pugnare maluerit. Verba autem ejus quibus captivi sui redemptionem dissuadens ad senatum usus est, fortitudinis & animositatis plenæ hæc fuisse perhibentur: Ego M. Attilius Regulus, dixit, vidi Carthagine illa signa, & illa arma Punicis delubris & templis adfixa & suspensa, quæ militibus Romanis per summum dedecus & infamiam sine cæde in bello ab hoste direpta & ablata sunt; quæ milites Romani non occisi, sed sese captivos tradentes, ab hostibus sibi eripi per extremam ignaviam passi sunt: ego vidi brachia civium Romanorum in libero tergo revincta & retorta, qui se Carthaginensibus ultro dediderunt: brachia, inquam, retorta, quod servorum & captivorum est, in tergo libero, utpote cum cives Romani fuerint: nimirum cum satius longè fuisset mori, quàm corpore libero tam ignominiosam servitutem ultrò subire: ego denique vidi portas urbis Carthaginis nocturno tempore non amplius clausas, & cives ob ignaviam Romanorum tutos & securos, & agros, atq; arva illa ab illis coli, quæ quondam nostro Marte,

nostris armis populata & vastata sunt. Si verò, captivi milites æro dato sui redemptionem postmodum sperare possent, nemo amplius in bello vincere aut mori vellet, sed virtus ac fortitudo militaris planè infringeretur. Sic est, miles qui semel captus est, & armis projectis hosti manus vinciendas supplex porrexit, ille postea fortis & animosus miles futurus est, & qui semel captus, auroq; dato repensus, & è captivitate redemptus fuit, ille scilicet acrior, strenuior, & animosior postmodum in prælia redibit. Quis non videt hæc esse absurdißima? Quid? quod vestro hoc consilio, quo captivos redimendos suadetis duo mala conjungitis, & illam pecuniæ jacturam & damnum, quam pro captivo rependitis cum flagitio & dedecore ipsius ignaviæ additis, & componitis. Qui autem semel virtuti & fortitudini in bello valedixit, ille nunquam postea ad amissa revertetur. Quemadmodum enim nec lana, quæ prius candida fuit, si colores semel deperdat, illos amissos nunquam verè & sincerè postea refert & repræsentat, ut vel maximè subdititio aliquo colore, aut fuco imbuta vel medicata sit: ita nec vera virtus & fortitudo cum semel ex animo hominis excidit, postea restitui ac reponi illis, qui virtute amißâ & deperditâ deteriores facti sunt, curat & desiderat. Quod si cerva, quæ natura timidissimum animal est, cum è densis plagis aut retibus expedita extricata aut liberata est, cum venatore postea pugnat, & non statim aufugit; tunc etjam concedo quod ille miles fortis & animosus erit, qui sese Poenis, id est perfidis & perjuris hostibus captivum concredidit, eorumq; potestati se permisit: Et altero Marte secundo prælio Pœnos proteret, subiget & superabit, qui primo prælio captus & vinctus est, & lacertis brachijsq; suis tanquam miles ignavus & iners lora sensit, ac vincula, quibus ligatus est, idq; brachijs post tergum restrictis ac religatis, quique mortem non contempsit, sed timuit ac reformidavit. Et hæc quidem sunt longè absurdißima. Sanè hic qui pacem cum duello, concordiam & amicitiam cum hoste commiscuit & confudit, ille ignarus fuit unde vitam & salutem sumere deberet, cum illa ab hoste expetenda non sint. In bello enim cum hoste acriter depugnandum est, nec vita expetenda ab ipso cui vitam eripere deberes. O pudor incredibilis & ignominia inaudita Romanorum! ó magna excellens & laudabilis urbs Carthago, quæ tam probrosis, flagitiosis, & turpibus cladibus ac ruinis, quibus Italiæ Roma, deformata non es; sed illis altior & major existis. Cum hæc animosa verba ad senatum prolocutus esset, nullâq; ratione ad hanc permatationem

nem adduci posset, ut fidem hosti datam, servaret Carthaginem repetere voluit. Cumq; jam jam abitum moliretur conjugis suæ matronæ optimæ & pudicæ, ut qui amplius liberæ conjugis maritus non esset, (quippe propter captivitatem servus factus, capitisq; minor, nec amplius liber) osculum, quo se tanquam servum indignum judicavit, & parvos suos natos, tanquam qui liberi nati essent, nec amplius sui filij, id est servi, & hostibus juramento obligati, à se removisse & recusasse fertur, & severus ac torvus virilem animosumq; suum vultum humi posuisse, oculosq; in terram defixos habuisse, tam diu donec ille auctor suasor & monitor patres conscriptos jam dubios in suâ sententiâ, & labantes, animoq; quidnam agerent fluctuantes & vacillantes consilio inaudito & admirabili (quippe qui consilium dederit quo exquisitissimis tormentis periret ipse, qui liberari posset) atq; adeo nunquam aliàs ab ullo homine dato, confirmaret, inq; suam sententiam protraheret, & (tanquam insigne constantiæ & magnanimitatis exemplum, qui egregius exsul per captivitatem esse, quàm per infamiam redimi mâllet) intra amicos atq; propinquos propter abitum tristes merentes & lugentes ad hostes redire & jurijurando suo satisfacere properâret. Atqui non ignarus fuit, se ad crudelissimum hostem, & ad horribilia supplicia proficisci ; sed benè callebat naturalem ferociam & crudelitatem Pœnorum, & quænam tormenta Barbarus tortor & carnifex sibi pararet : & tamen propinquos & amicos suos sibi obstantes & precantes, ne ad hostes rediret non aliter dimovit & repulit, & populum Romanum suam ad hostes reversionem & suos reditus impedientem rejecit, non secus ac si patronus fuisset, & clientum suorum longa negotia, & causas litesq; longo tempore pendentes, lite jam dijudicatâ, causâ transactâ & decisâ, & ad lætum finem perductâ, jamq; pronunciatâ sententiâ, jam tandem relinqueret, & post multas molestias ac labores tandem animi gratiâ in secessu aut otio rustico sese oblectare & in villam suam exspatiari vellet in Venafranos Campaniæ agros amœnissimos, aut Tarentum Italiæ oppidum à Lacædemonio Phalantho conditum tendens & iter habens.

ODA VI.

AD ROMANOS

Corruptos suæ ætatis mores insectatur.

PLurimis mortalium documentis, & totâ mundi historiâ, usu & experientiâ comprobatum est omnia esse secunda colentibus Deos, adversa spernentibus. Et impietate quidem, Deorumq́; contemptu dij usq́; adeo offenduntur, ut in quartum posterorum gradum impietatis pœna sæpe redundet. Tu quoq́; ô Romane popule majorum tuorum delicta propter violatam religionem tam diu persolves, & quidem immeritus & inculpabilis, (ut qui non commiseris propter parentum delicta puniri,) pœnas lues, donec Deorum immortalium templa tuâ impietate diruta; donec Deorum immortalium ædes ruinam minitantes & labantes; & deniq́; donec Deorum immortalium imagines & simulacra nigro fumo, squalore ac situ fœda & deformata refeceris, ac reparaveris. Etenim propter contemptam religionem in omnia mala & adversa incidisti. Eo enim nomine hactenus usus es felicitate, quod pietatem & religionem coluisti, & propterea totius mundi monarcha es, & universo orbi imperas ac dominaris quod Dijs immortalibus te minorem geris, illosq́; tanquam superiores agnoscis & veneratus es, illisq́; per impietatem te parem vel æqualem non gessisti. Quod si eâdem felicitate imposterum perfrui desideras, majorum tuorum delicta & impietatem sincero Deorum cultu dele, omnia Dijs accepta refer, atq́; adeo hinc à Dijs immortalibus omne rerum principium & exordium sume, & si rerum tuarum lætum exitum consecutus es, illum non tibi adscribe, sed huc ad Deos refer, illisq́; pietate, religione & fide gratias age. Quanta enim Dij neglecti, minusve religiosè culti aut contempti, mala sinistra & adversa Italiæ Hesperiæ infelici calamitosæ & luctuosæ dedêrunt & intulêrunt! Ecce enim Monæses ille Parthorum rex truculentus Romanorum hostis, & Pacori manus, & potentia, jam bis incursiones & impetus nostros inauspicatos, Deorumq́; ductu ac numine non inceptos, contudit repulit & repressit. Quod M. Crassus, & Didius Saxa Antonij legatus ad internecionem usq́; cum toto exercitu deletus magno nostro Romanorum damno expertus est; Et ille hostis, quod exiguis suis torquibus pondus aliquod adjecerit, & opes suas tenues prædâ aliquâ auxerit renidet, gaudet & lætatur. Dum etiam urbs Roma bel-

lis

lis civilibus & domesticis seditionibus *propter contemtam religionem exortis* occupata est, pæne illam *Antonij & Cleopatræ adversus Cæsarem exercitus, ejusq; miles* Dacus *Scythiæ* Europeæ *populus*, & Æthiops, *invasit &* delevit: *quorum* hic *Æthiops quadragintarum navium* classe, *contra Cæsarem ducta metuendus &* formidatus *fuit*: ille *autem Dacus* missilibus *jaculis &* sagittis *in hostem detorquendis* melior *est & peritior. Omnes autem primæ impietatis scelerum & ignaviæ Romanorum caussæ fuerunt vagæ libidines & adulteria. Etenim nostra quibus vivimus* secula *planè vitiosa, & pietatis sterilia*, culpæ *autem & sceleris* fæcunda, *plena, & feracia omnium* primùm nuptias inquinaverunt, *sanctumq; matrimonij fœdus polluerunt, & per consequens ipsam nativitatis seriem &* genus (*postquam nothi & adulterini pro genuinis nati sunt*) & domos *totas familiasq; contaminârunt.* Ex hoc *adulterij* fonte *homines suis parentibus similes, turpes, & scelerati exorti sunt, & totius Reipub.* clades *& calamitas ex hoc fonte tanquam per rivum deducta &* derivata in patriam *nostram Italiam, totumque Romanum* populum profluxit. *Hinc nimirum illud est, quòd matronæ Romanæ ad lasciviam, libidinem, stupra, & adulteria inde usq; ab infantiâ imbuuntur, & efformantur.* Etenim virgo *viro jam* matura *& nubilis molles, & lascivas saltationes, &* motus Ionicos *parum castos* doceri gaudet *ac delectatur*; & jam nunc *malis* artibus *pro decoro ac convenienti gestu libidinosæ saltationis corpus suum molliter movere, & ad quemvis motum, quo intuentium libido provocetur*, fingitur, *instituitur & componitur*, & *ab ineunte ætate, &* de teneris, *quod ajunt*, unguiculis amores *parum pudicos*, incestos, *& adulterinos curat &* meditatur. Mox *ubi jam maturiori ætate alicui nupsit & marita est, tunc* quærit *robustiores, formosiores &* juniores *viro suo* adulteros; *idq;* inter *commessationes, inter* vina *& pocula, interq; domestica convivia sui* mariti, *quæ conjugis suæ adulteræ hortatu celebrare cogitur. Nec stupri aut adulterij consuetudinem clam cum mœchis suis exercet, sed palam.* Neque *enim* eligit *quenquam*, cui *adulterij voluptatem &* gaudia *lege matrimonij* non *concessa, nec* permissa raptim *celeriter & furtivè* donet *ac indulgeat, idq; nocturno tempore* luminibus *extinctis &* remotis, (*ut clam marito furtivos suos amores exercere posit*) sed coram *& palam*, non sine conscio marito, *& suam suæq; uxoris turpitudinem & sciente, & patiente, si ad adulterum venire* jussa *sit*, surgit, *& ad mœchum properat*;

 qui-

quicunq; etjam ille sit, sive institor *homo vilis & contemptus illam ad se* vocat, seu *Nauclerus &* navis Hispanæ magister *& gubernator propter pretij ipsius stupri magnitudinem admissus; utpote* dedecorum *& adulteriorum* emptor pretiosus, *& profusus; & qui, ut libidinem suam expleat, nihil pensi habet. Hinc existimare promtum est, cur posteri à pietate, religione, virtute & fortitudine majorum paulatim degeneraverint. Quippe ex adulterijs hujusmodi nati, quid mirum si parentes suos imitentur? Nam illa* juventus *Populi Romani, quæ quondam res contra Carthaginenses geßit præclarißimas, &* Punico *Africanorum* sanguine *ipsum* mare *purpureo colore* infecit, *& hostes navali prælio superavit*, & Pyrrhum *Epirotarum regem fortißimum*, & Antiochum *Syriæ regem* ingentem *& validißimum*; & Annibalem *illum* Deorum ira *Romanis puniendis, quos multis funestis cladibus adfecit*, immissum, cecîdit *& devicit: illa, inquam, juventus*, his, *de quibus dixi, nebulonibus, scortatoribus, adulteris, ignavis & semiviris* parentibus orta non est: sed *illa fuit robusta*, mascula, *& animosa priscorum Romanorum* agriculturam exercentium *optimorum virorum &* militum proles, *& progenies, ad omnes labores ruri assuefacta; quæ non civitatis delicijs ac illecebris fracta esset, sed* ligonibus Sabellis, *in Sabino agro* glebas versare, *& terram fodiendo invertere* docta *esset*, & *contos perticas &* fustes, *ad instrumenta rustica, aut ad ignem in foco alendum utiles securi* recisos juxta matris *suæ duræ ac* severæ *jussa &* imperium *domum reportare*; ubi *jam finitis rusticis laboribus vespertino tempore* sol *ad occasum declinaret, &* montium *breves* umbras *in longas* mutaret, & bobus *diei labore feßis, aa* defatigatis *otium jam & quietem concederet, ab illorumq; collo* juga demeret *ac detraheret*, curru *suo ad occasum declinante, & sub Horizontem* abeunte, *feßis rusticis* amicum *& gratum optatæ noctis & quietis* tempus agens *& reducens. Nimirum tempore omnia paullatim ad deteriora vergunt, & depereunt. Nam* damnosa dies, *& tempus omnibus rebus interitum adferens*, quidnam non imminuit, *& destruit? Nempe quæ non corpora solum paullatim atterit, sed animos & mores etjam. Vnde fit ut omnia in pejus ruant. Nam* ætas parentum *nostrorũ* avis *nostris melioribus* pejor *ac deterior*, nos *filios* nequiores genuit *& produxit*, qui mox progeniem vitiosiorem, *& pejorem* edituri, *& progenitur* sumus.

ODA

ODA VII.

AD ASTERIEN.

Quam de viri sui absentiâ mæstam consolatur.

QVidnam tu, ô Asterie, absentem amatorem tuum Gygen juvenem constantis amoris ac fidei, nullamq; aliam præter te amantem fles, luges, ac desideras? Quippe qui brevi se tibi reddet, teq; amicam suam repetet. Nimirum quem candidi Favonij, illi ab occasu æquinoctiali spirantes venti mites, felices & sereni, amœnissimi veris comites primo & novo vere jam imminente tibi restituent, & quidem negotiationibus ac mercimonijs ditiorem redditũ, & merce Ponticâ ex BiThyniâ Romam advectâ beatum & locupletatum. Ne verò existimes illum suâ sponte tam diu abesse, tuâq; conjunctione & consuetudine carere; Ille enim Gyges amicus tuus postquam capræ aut hædi turbulenta insana sidera, ventos & tempestates concitantia brumâ sæviente pertulit, Notis meridionalibus Austris ventis ad Oricum Epeiri portum & opidum in Macedoniæ confinio actus & compulsus, hiemali tempore frigidas, & te lecti sociâ carentes noctes non sine multis lacrumis tui amoris impatientiâ & desiderio insomnis transigit. Atqui interea non deest, quæ innumeris blanditijs ipsum à te in sui amorem pellicere conetur, ut hinc, quàm fidum & constantem amatorem habeas, facilè possis animadvertere. Nam vafer & ad persuadendum callidus, ac versutus internuntius hospitæ suæ Chloës amatoris tui Gyges amore vehementer detentæ anxiæ & sollicitæ, illum mille modis & infinitis rationibus tentat, illumq; in alterius amorem protrahere conatur: dicens miseram, illam Chloën amoris desiderio suspirare & ingemiscere, illamq; tuis ignibus, tui amatoris Gygis amoribus tanquam flammis comburi: adjungit deinde maximâ dicendi solertiâ historias & exempla illorum, qui à suis hospitis sollicitati morem gerere recusantes, in maxima vitæ pericula inciderint. Refert enim ille nuntius ut Sthenobæa, quam alij Anteam vocant, mulier adultera, mendax, & perfida, Proetum maritum suum, nimis credulum falsis criminibus & delationibus eo impulerit, ut Bellerophonti nimis casto, suâq; abstinentiâ nimiâ pericula sibi accersenti gra-

gravißimis periculis exposito, necem maturaret, & accelerararet. Nam Bellerophon Glauci Ephyræ regis filius, cum apud Prætum Argivorum regem degeret, à reginâ Antæâ de stupro sibi inferendo sollicitatus, cum recusâret, ab eâdem apud maritum defertur tanquam qui sibi per vim stuprum offerre voluerit. Vnde Bellerophon in summa pericula conjectus est. Narrat præterea aliam historiam de Cretheide Acasti uxore, & demonstrat ipsum Pelea Æaci filium, Thessaliæ regem, pæne Tartaro datum, & ad orcum demissum, extinctumq; esse, cum Hippolytem illam Magnessiam ex Thessaliæ civitate oriundam (nimis castus & abstinens ab alterius conjuge) fugit, ejusq; concubitum vitans consentire non vult. Qui & ipse eodem modo, apud maritum delatus, ab eodem vindictam parante, in venatione armis exutus, ipsis feris dilacerandus objectus est, & vix à Chirone Vulcani machærâ libëratus fuit; Aliasq; historias ipsi in memoriam revocat & proponit, fallax ille & subdolus internuntius, & hujusmodi casus ac eventus ipsum monet, qui peccare doceant, & ad adulterium committendum propter periculi magnitudinem facilè aliquem invitare poßint. Atqui frustra hoc facit: quippe ille hisce omnibus nihil commovetur aut perturbatur. Nam ille hasce nuntij voces, & verba ad persuadendum vel maximè comparata, audit, surdior existens, quàm scopuli Icarij maris immobiles, & immutabiles; & nondum ullius alterius amore corruptus, sed ab omni impudicitiâ integer adhuc & immunis est. At verò cum tu, ô Asterie, hujusmodi amatorem habeas in amore suo erga te constantißimum; æquißimum etjam est, te vicißim pari amoris constantiâ ipsi respondere. Quare etjam atq; etjam cave, ne pulcherrimus ille juvenis Enipeus, vicinus tuus, tibi propter eximium corporis decorem nimis placeat, & plus justo amabilis videatur: quamvis ille vel maximè dignus sit, qui ametur. Etenim non ferè alius quisquam juvenis, in toto Martio campo & gramine, ubi tot quotidie juvenes sese exercent, conspicitur, qui æquè sciat equum singulari solertiâ in gyrum flectere: nec quisquam alius invenitur, qui æquè citus & velociter, in Thusco vel Tiberino alveo aut flumine, campo Martio vicino, secundo flumine deorsum natet. Ille cum reliquos adeo antecellat non indignus forte esset, qui ametur, nisi sanctum amoris vinculum inter te & amatorem tuum Gygen, obstaret. Qui ut integer ac inviolatus tibi permaneat primâ nocte ædes, domumq; tuam claude; nec postea rursus aperi, ut aliquem intromittas, imo ne fenestras quidem; neq; nocturno tempore ex illis in subjectas vias & pla-

piateas deorsum aspice sub cantu & sonitu tibiæ querulæ & lamentabilis, quâ Enipeus se amore tui perire, seq; à te immeritò sperni conqueratur, teq; flectere & mitigare conatur: & si te vel maxime nocturno tempore duram morosam & exorabilem sæpe vocet & compellet, tu difficilis sæva & inexpugnabilis nihilominus mane & persevera.

ODA VIII.

AD MÆCENATEM.

Cur Kal. Martijs cælebs cum sit, tamen sacrificet, & epuletur.

CLarissime equitum Romanorum C. Cilni Mæcenas, qui utriusque linguæ Græcæ & Latinæ sermones doctus es, tu haud dubie demiraris quidnam ego Horatius, qui cælebs & sine uxore sum, hisce Kalendis Martijs, quibus mariti tantum & matronæ pro conservatione conjugij Iunoni sacrificant, agam & incipiam, qui etiam ad sacrificia me parem: quidnam flores sibi velint, quos sparsi, inq; solemni sacrificio adhibui, & thuribulum vel acerra thuris plena, & deniq; vivens ignis carbo aris, è vivo cespite erectis impositus. Hujus rei rationes & causas tibi exponam. Nam ego Horatius cum proximè in agro meo funestæ arboris ictu & lapsu propè funeratus & sepultus essem, voveram libero Baccho conservatori meo in grati animi significationem aliquod sacrificium, dulces epulas, vino conditas, & album aliquem caprum, quod vites rodere & infestare soleat, Baccho sacrum, hisce Kalendis Martijs. Atq; adeo hic dies anno redeunte & vertente anniversarius festusq; mihi semper erit, & à me celebrabitur, idq; genialiter admodum. Nempe qui vetustissima vini generosissimi dolia mihi relinet, & optimi vini amphoræ (quæ vel L. Volcatio Tullo consule vino impleta, & scilicet longo tempore non relinenda, ut ex vetustate fumum biberet & contraheret posita & statuta est) corticem & coperculum, ne vinum evaporare potuerit, pice adstrictum & superlitum in læti convivij usum, dimovebit & auferet, ut priscum maximè vinum inde depromatur. Quare tu hodie, ô Mæcenas, in gratiam amici tui ab arboris casu sospitis & incolumis, frontem liberaliter exporrige, & centum cya-

thos, *& capaciora pocula* sume *& statue,* & lucernas vigiles, *& totâ nocte non extinguendas usq; ad* lucem *dum sol exoriatur* profer, *produc & extende; & totâ nocte ad lucem usq; genialiter & hilariter perpota:* omnis *autem hostilis* clamor, iracundia, *molestæ lites & contentiones* procul sint, *perpetuaq; concordia & hilaritas in illo convivio conservetur. Quod ut verè & sincerè facere poßis, omnes molestas* curas *& cogitationes* civiles super urbe *Romanâ* mitte *& relinque: quippe cum omnes imperij Romani hostes feliciß imis Augusti imperatoris auspicijs devivicti & superati sint. Nam* Daci *Scythiæ Europeæ populi toties incursiones & impetus in nostrum imperium facientes ab Augusto tribus illorum ducibus occisis, inter quos etjam* Cotisonis *Dacorum principis* agmen *ad internecionem usq; cæsum* occidit, *coërciti & repreßi sunt.* Medus *autem & Parthus* infestus *Romanorum hostis, jam inter se dißensionibus & discordijs exortis,* armis *nullis alijs quàm* sibi *auctoribus suis* luctuosis dissidet *& discordat, nobisq;, dum proprijs seditionibus occupatur, rebellare non poterit.* Cantaber *etjam maritimæ* Hispaniæ oræ *versus septentrionem inhabitator,* vetus *Romanorum* hostis *qui jam sex integris annis à nobis oppugnatus jam tandem Augusti auspicijs à M. Agrippâ tardâ ac* serâ *servitute atq;* catenâ domitus *est, jam* servit, *Romanorumq; imperio paret. Deniq;* Scythæ *depositâ pugnandi voluntate non distento amplius, sed* laxo arcu, *pugnant, & pulsi è finibus ac* campis *Romanorum discedere* meditantur. *Quin igitur tu, cum* privatus *sis nullumq; magistratum geras, aliquandiu* negligens *& parui pendens,* ne quà *fortaße in parte Romanus* populus *tuâ operâ & consilio indigus* laboret, *illudq; solus præcavere, nimisq; de illo sollicitus esse,* parce *ac desine, & reliquis etjam aliquid curandum relinque,* & præsentis horæ *ac temporis* dona *quæ tibi liberaliter indulget,* lætus rape *& occupa, illaq; in futurum tempus non differ, sed omnium futurorum securus, in convivio præsenti animo sis, & molestas curas & cogitationes, omniaq; tristia, seria,* & severa relinque.

ODA IX.

Dialogus Horatij & Lydiæ.

H. Do-

H. Donec tibi, ô Lydia, quondam gratus, amabilis, & acceptus adhuc eram, tuoq; jucundissimo amore perfruebar, nec alius quisquam juvenis mihi apud te prælatus, & me potior, gratior, & amabilior à te amabatur, teq; amplexans & osculans pulchræ candidæq; tuæ cervici brachia sua dabat & implicabat; tunc opulentissimo Persarum rege felicior ac beatior vigui, omnesq; mundi felicitates immenso intervallo antecellere mihi visus sum.

L. Donec ego quoq;, ô Horati, olim à te unicè amabar, tuq; nullam aliam magis arsisti & amâsti, nulliq; aliâ puellâ magis incensus fuisti, quam me, & Lydia post Chloën nondum erat, & nulla mihi apud te anteponebatur; tunc ego Lydia multi nominis, magnæ famæ & nobilis, ipsâ Iliâ Rheâ Numitoris filiâ Romanâ, Romuli & Rhemi matre clarior & nobilior vigui, & quâvis reginâ mihi felicior & beatior visa fui.

H. At verò jam nunc, postquam amori tuo valedixi, Chloë illa puella Thracia domina me Horatium amatorem suum regit; quæ dulces modulationes & cantilenas amatoriorum carminum edocta est, & egregiè canere novit, etjam instrumentis Musicis cantare, & citharæ sciens est. Et quidem quam tanto amore deperio, ut si post meam mortem ejus animæ ac vitæ superstiti fata parcent, pro ipsâ mori non metuam, & morte meâ ejus vitam redimere.

H. Me Lydiam quoq;, postquam amatori tibi nuncium remisi, formosissimus ille juvenis Calais, filius Ornithi, è Thurio Brutiorum opido oriundi, mutuâ reciproci amoris face vehementer urit ac torret. Et quem ego vehementiori adhuc amoris desiderio amplector: & si fata post mortem meam puero illi, & animæ vitæq; ejus superstiti parcent, & diutius vivendi tempus indulgebunt: vel bis pro illo fata subire, ac mori patiar. & omnia etiam gravissima ejus causâ lubens in me recipiam.

H. Quid si, ô Lydia, desitos amores redintegramus ac renovamus, atq; ad pristinam amoris mutui benivolentiam redimus. Quid si prisca Venus, priscus amor ad nos redit, nosque jam aliquandiu diductos, divulsos, disjunctos & discordes rursus aheneo amoris jugo, & firmissimo, mutuæ benivolentiæ vinculo rursus coagit, conjungit, & coadunat? Quid si flava illa amica Chloë, quâ tanquam dominâ ac jugo hactenus premor, rursus excutitur, tibique Lydiæ olim rejectæ & repudiatæ aditus, accessus, & janua ad me amatorem rursus patet, & aperitur?

L. Quanquam, ô Horati, nullas ferè animi mei mutandi caussas habeam: Nam Calais ille, quem amo, sidere pulcrior & splendidior est, tu contra in amore cortice levior, & quovis vento mobilior, & tam velocis & vehementis iræ, ut etjam improbo illo insano & procelloso sinu maris Hadriâ, cum ventorum & fluctuum violentiâ perturbatus est, iracundior & sævior sis; Tecum tamen, ò Horati, & vivere amem ac desiderem, tecumq; lubens mortem obeam, nihilq; mihi potius, quàm tecum vivere, tecum mori.

ODA X.

AD LYCEN.

Ut positâ duritiâ ipsius misereatur.

IN ultimâ Scythiâ aut Sarmatiâ si nata esses, Lyce, & extremum & remotissimum Tanais fontem ad Caucasum montem habitans biberes, & ipsa barbara, barbaris parentibus genita, barbaro sævo & crudeli viro nupta esses: tamen mei amatoris tui misericordiâ tangereris, & plorando dolcres, si Aquilonibus, & Septentrionalibus Scythicæ & Sarmaticæ regionis incolis & inquilinis ventis me ante fores tuas puellæ asperæ, duræ, & inexorabilis nocturno tempore frigidissimo porrectum, jacentem, & excubantem objiceres, & exponeres. Nimirum tua hæc inhumana crudelitas omnem Scytharum & Sarmatarum barbariem superat. Nam vel horribilis noctis tempestas, hiemale frigus, & ventorum mugitus, te dormientem excitare, & ad me exclusum intromittendum invitare deberent. Audis enim quo impetuoso ventorum strepitu janua domus tuæ nocte impulsa concitetur, & amænum illud nemus inter pulcra & splendida ædium tuarum tecta situm resonet ac remugiat: Cernis præterea ut nocturnus Iupiter vel aër puro lumine, & sereno cælo intenso frigore ex aëre dejectas, positas, & jacentes nives condenset, concrescere faciat, & in glaciem constringat, quantasq; ærumnas & labores nocturno tempore præ foribus tuis amore tui sustineam, & perferam. Quin igitur tu superbiam illam tuam quâ me amatorem tuum spernis & contemnis: superbiam, inquam, Veneri amorum Deæ ingratam abominabilem, & exsecrandam, ex animo depone,

pone, & relinque: ne iratâ Venere adversam etjam, & immutatam, adversamq́ Fortunam experiaris: & ne funis, quo rota fortunæ hactenus directo & secundo cursu feliciter tracta fuit, aliquando rotâ currente retro eat, & cursum suum flectat, tuq́ ita immutatâ fortunâ rursus contemnaris. Nam Tyrrhenus, Italus, vel Latinus pater tuus, non fuit Icarius aliquis; nec genuit te Penelopen suis procis & amatoribus difficilem, inhumanam, agrestem, & morosam, quos miris modis decepit & fefellit. Tu verò, ô Lyce, quamvis obfirmato & præfracto animo in tuâ pertinaciâ perseveras, nec munera à me amatore tibi missa, nec preces & supplicationes meæ apud te locum habent; nec amantium te reliquorum pallidus, & luridus color, violâ tinctus, animum tuum obstinatum flectit; nec deniq; vir & maritus tuus, qui Pieriâ, & Musicâ pellice, quâdam Psaltriâ, aut fidicinâ saucius, & amore alterius vulneratus est, te ad me sublevandum mihiq; subveniendum incurvat, & inclinat: Quamvis etjam tu nihilo mollior, nihilo clementior, quo ad animum tuum, quam rigida aliqua arbor esculus, nec Mauritanis anguibus aut serpentibus mitior es: Amatoribus tamen tibi supplicantibus parce, teq́ mitiorem exhibe, & in tempore te humaniorem exhibe, animumq́ flecte. Etenim hoc meum corpus & hi mei lumbi, & latus meum quod duro in limine præ foribus tuis excubans noctis tempore fregi, illius duri liminis in quo nocte recumbam, & cælestis aquæ nocturno tempore per imbrem & tempestates decidentis non semper ferendo & patiens erit, & nisi in tempore te flecti sinas, occasionem amoris potiundi prætermissam olim dolebis.

ODA XI.

AD MERCURIUM.

Ut cantus sibi dictet, quibus Lyden flectat.
Danaidum fabula.

Iccine verò nullâ humanâ ope vel auxilio animus præfractus & à me aversus puellæ Lydes, flecti & mitigari potest? Quin igitur tu, ô sanctissime Deorum nuncie & interpres Mercuri, lyræ inventor, & eloquentiæ DEUS, qui olim tuo invento ac munere beluas,

 tigres,

tigres leones, saxa & lapides, silvestres, & efferos homines flectere tuâ eloquentiâ, & mitigare potuisti; age dic mihi amatorios cantus & modos, quibus Lyde puella aures suas obstinatas duras, præfractas, & à me aversas advertat, & ad cantilenas meas audiendas admoveat & applicet. Tu enim unus & solus hominum animos contumaces & rigidos mitigare calles. Nam te præceptore & magistro Amphion ille Iovis & Antiopes filius in discendo facilis & docilis, dum lyrâ à te inventâ canit, lapides, & saxa movit, ijsq; suâ sponte se aptè conjungentibus Thebanam urbem muro cinxit: Et tu ô Divis & hominibus grata lyra & testudo à Mercurio primùm inventa, quæ septem chordis & nervis ab inventore tuo distincta scitè & callidè resonare novisti (cum olim ubi à Mercurio instructa nondum fuisti, muta eras, & rudis, non autem vocalis & loquax, nec grata & jucunda audientibus; nunc vero & divitum mensis ac convivijs, & Deorum immortalium sacris & templis amica grata, atq; adhiberi solita multum usum & jucunditatem præstas) age tuâ incredibili suavitate & dulcedine Lydem puellam mihi concilia, & mitiga; quæ velut equa trium annorum, & adhuc juvencula in latis & spaciosis campis exsultim ac saltuatim ludit, & nondum subjugata & domita à quopiam tangi metuit ac reformidat: Sic & illa nuptiarum expers, & admissarium aliquem virum nondum passa; & veluti fructus qui ad maturitatem nondum pervenerunt, & ingrati sunt; sic protervo alicui & petulanti viro & marito amatori adhuc cruda, intempestiva, & immatura est. Tu enim, ô Lyra, quemadmodum ex Orphei historiâ satis notum est, tuo sonitu horribiles & immanes tygres, & rabidos ferocesq; leones, aliasq; feras, unaq; & silvas cum arboribus, & lapides comites tecum ducere; & celeres rivos, rapidosq; fluminũ lapsus, & veloces ventos inhibere ac remorari potes. Etenim ille triceps canis infernalis Cerberus, immanis, ingentis vastæ omniumq; mortalium capacis inferorum aulæ janitor, & excubitor, tibi blandè suaviterq; canenti cessit, & soli Orpheo cum uxore Eurydice exituro locum, dum tecum canit, lubens dedit, & concessit. Quamvis caput ejus triceps, horribile, & furiale serpentes aliquo vallo pilorum loco circundent, & centum angues muniant, & cingant; & ex ejus trilingui trium capitum ore horridus, teter, & graveolens spiritus manet, & profluat, alijsq; venientibus quidem blandus sit & benignus, exituris verò immanis & truculentus. Quin etiam sceleratus ille Ixion, qui Iunoni stuprum inferre volens, ex objectâ nube

nube Centauros progenuit, & ad inferos detrusus perpetuâ rotâ circumagitur: & Tytios immanis Gygas, qui Latonam de stupro compellans ab Apolline sagittis confossus est, & apud inferos continuò renascente jecore ab Aquilâ dilacerando & devorando, perpetuò punitur; quamvis dolor & cruciatus non permitteret, tamen Orphea Lyra canentem audiens, invito vultu uterq; pœnarum suarum oblitus, risit. Ubi etjam, dum tu, ô Mercuri, per Orphea grato carmine gratâq; lyrâ Danai scelerati regis impias filias & puellas mulces & oblectas, illarum urna perforata (quâ pertusa sine fundo dolia aquâ implere perpetuo & irrito labore coguntur) aliquandiu sicca & à labore cessans stetit & quievit, & Orphea fidibus canentem auscultavit. Et hæc quidem historia talis est, quæ meritò durum illum & infractum animum Lydes erga amatorem suum mitigare possit, & flectere. Age audiat dura & morosa illa Lyde summum illud Danai filiarum scelus, quæ quinquaginta numero suos sponsos totidem Ægypti patrui filios unâ nocte jussu parentis trucidarunt, per inhumanam, incredibilem, & inauditam crudelitatem: audiat etjam sceleratarum illarum virginum condignas pœnas apud inferos, omnibus hominibus satis notas; audiat dolium illud, quod lymphæ urnis perforatis infusæ, in imo fundo (quo caret dolium, cum ibi consistere non possit) evanescentis & pereuntis, inane & vacuum, & aquæ nunquam plenum est: audiat denique fatales illas & sempiternas pœnas quamvis seras & tardas, nunquam tamen irritas; quæ hominum culpas, peccata, & scelera, etjam post mortem sub orco manent & exspectant; ne quis scilicet per mortem culpâ simul & pœnâ se absolutum & liberatum iri confidat & inferni pœnas contemnat. O nimis impiæ & sceleratæ sponsæ; nam quid impiæ & sceleratæ illæ majus peccatum & scelus admittere in se, & perpetrare potuerunt? nimirum suos sponsos, suos amatores, suos novos maritos, duro ferro potuerunt perdere, quod scelus omnia scelera immenso intervallo superat. Una tantū de multis illis Danai filiabus Hypermæstra, quæ face & honore nuptiali digna, merito splendidis nuptijs, in matrimoniū adsciscatur, erga sponsum suum Lyncea mitis & misericors fuit, & in patrē perjurum splendidè, decenter, & magnâ cum laude mendax fuit; cui nempe pollicita, se & ipsam sponsum suum trucidaturam, non præstitit, & laudabiliter pro ipsa justitiâ mentita est; Virgo quæ profectò digna est, quæ nobilis sit in toto mundo, idq; in omne tempus & ævum. Quæ nimirum Hypermæstra juveni suo marito, vel ex somnolentiâ, vel ex amore, mo-

rus nescienti, *ut qui difficulter ab amatâ conjuge separari potuerit*, surge dixit, surge, *inquam*, *ô marite*, *nec ulterius somno indulgeas*, ne *fortassis* longus *ipsius mortis* somnus tibi *à socero tuo parente meo*, *& affinibus tuis sororibus meis*, unde non times, *neq; speras*, detur *& inferatur*; *& ne cogaris æternùm dormire*: *age* falle, *& hâc nocte fugiendo decipe* socerum *tuum Danaum* & sceleftas *meas* sorores: quæ veluti leænæ, *quæ* vitulos *in cibum* nactæ *sunt*, *ita sponsos suos*, *tuos fratres*, eheu; *immaniter* lacerant, *&* singulos *suum quæq; separatim trucidant*, Ego *vero*; *ô charissime marite Lynceu*, *ne forte à meâ quoq; personâ tibi metuas* illis *sororibus meis* mollior, *mitior*, *& humanior*, nec te *ferro* feriam *& necabo*, nec *te etjam tam diu dum patir & sorores te dilaceratum veniant*,*in conclavi hoc &* intra claustra *cubiculi clausum* detinebo. *De me quid fiat tuta & secura sum*, *dummodo tu mortem effugias*, *atq; adeo* pater *meus* me sævis catenis *vinciat*, *gravet atq;* oneret, quod *tanquam mitis &* clemens *tibi meo* viro misero pepercì, vel *etjam navibus &* classe in *ultimos &* extremos Numidiæ desertæ *feris & draconibus plenæ* agros, *in exilium missam*, releget, *longissimeq; à patriâ removeat*: *vel etjam quâvis crudelissimâ morte afficiat*. *Hæc omnia nihil moror*, *tu modo celeriter fugam arripe*, *& i*, quo *vel tui* pedes *in terrâ*,te *celerrimè aufugientem abducunt*, vel *quo* auræ *& venti te navibus avectum velociter* abripiunt, dum nox *quâ opportunior fugiendi occasio tibi conceditur*, *tibi* favet, & Venus *nostrum amantium dux & tutelaris Dea*. *Tu igitur*, *ô charissime marite*, *è cujus osculo & amplexu ægerrimè jam obripior* secundo omine *& felici augurio* abi, & *meo defunctæ* sepulchro *in epitaphio aliquam lamentabilem* querelam *de amoribus nostris tam miserè divulsis*, nostri *mei tuiq;* memorem, (*quæ nostri memoriam maximè longam efficiat*, *& semper apud posteros legentes instauret*) sculpe *& incide*.

ODA XII.

AD NEOBULEN.

Eam Hebri juvenis amore captam inertiæ se dedisse.

Mise-

Miserarum puellarum proprium hoc est, ô Neobule, dulci amori non aliquando suavem aliquem & jucundum ludum dare, in amore cum amatore non aliquando colludere, illiq; non largiùs aliquando indulgere, ejusq; dulcissimo nectare non interdum suaviter perfrui, nec omnia mala ac adversa dulci vini potu lavere & abstergere, omniumq; curarum oblivisci, omnibusq; sollicitudinibus valedicere; miserum etjam & calamitosum est vos puellas, patruæ asperæ & objurgatoriæ linguæ, parentum vel patruorum, (qui acerrimi morum censores sunt) verbera, castigationes, & objurgationes nimium metuentes, perturbari & timore prope exanimari. Quid enim tu, ô Neobule, aliter, quæ vehementer quidem amas, sed infelix, amore & amatore tuo non perfrueris? Nam tibi Cithereæ Veneris puer ales Cupido, qui animum tuum juvenis cujusdam amore accendit & inflammavit, ille omnes virginales operas, studia, & exercitia tibi aufert; tibi ò Neobule eximius ille nitor & pulchritudo Hebri juvenis ex Lyparâ Insulâ oriundi, quem perditè amas, qualum, calathum, & lanificium; tibi telas, & texendi exercitium, & universum studium operosæ illius sedulæ & dilgentis Minervæ, adimit, tibiq; è manibus excutit: simul speciosus ille juvenis corpus & humeros suos post exercitia campestria oleo unctos & delibutos in vicini fluminis undis abluit, & postquam pulverem & sudorem ex exercitijs contractum, vicinum Tiberim transnatans, lavit & abstersit. Sanè qui eximius eques est, & ipso Bellerophonte, qui equo alato Pegaso insidens Chimæram occidit, melior & præstantior est; egregius etjam pugil, & cursor, nempe qui neque pugno in Athletico & Agonico certamine, nec segni pede in cursu ab alio unquam victus vel superatus fuit. Qui idem jaculandi catus, peritus, & ingeniosus est, & agitato agminatim fugiente grege, veloces cervos per apertum campum fugientes mira solertiâ configere, & jaculari novit: qui Hebrus etjam celer & velox est ad aliquem aprum, denso, & alto fruticeto virgultoq; latitantem & abscondentem sese, jaculo sagittis & venabulo excipiendum, ex insidijsq; conficiendum.

ODE XIII.

AD FONTEM BANDUSIAM.

Cujus amœnitatem commendat.

O Fons Bandusiæ *in regione Sabinâ agro meo vicine amœnissime, qui omni* vitro *pellucidior, purior, liquidior,* & splendidior *es,* qui *cum tibi aliquid divini numinis insit, tuo merito* dignus es, dulci mero, *quòd cum splendidâ tuâ aquâ mistum libetur, tu* crastino *die aliquo* hædo *tibi in sacrificium offerendo & mactando* non sine *sertis &* floribus *quo coronabitur, à me* donaberis, qui *hædus jam ætate maturior* frontem *tumore aliquo ex quo cornua mox erumpant* tumidam habet, *nuper natis, & jam* primum *adeo* nascentibus cornibus; *quiq; jam constituit apud se,* & *mox meditatur* Venerem *exercere,* & destinat *propter illam Venerem* præliari, *& cum alijs more hædorum lascivè contendere & pugnare: idq;* frustra, *ut qui cras occidendus & in sacrificium mactandus est.* Quippe *illi* soboles lascivi *& libidinosi* gregis *hircorum crastino die,* tibi, *ô fons,* gelidos *tuos* rivos rubro *suo* sanguine *tinget, colorabit, &* inficiet, *alioq; colore imbuet.* *Nimirum tu fons tuâ opacitate, gelidisq; tuis liquoribus meritò te commendas:* *Vt* quem atrox *& noxia* hora, *quem intemperatum, vehemens & pestiferum tempus* caniculæ æstuantis, *ardentis, maximosq; calores excitantis suo calore* tangere non potest, *nec ad te, qui densis ilicibus circumdatus es, quæ suis ramis fervidos solis ictus excludunt, solares radij penetrare possunt,* *Hinc nimirum* tu amabilem frigidum potum tauris, *alijsq; jumentis* vomere, *aratro, alijsq; laboribus rusticis defessis & defatigatis, alijque* pecori *liberè pascenti variæq; discursanti &* vaganti, præbes, *suppetis & largiris.* Tu quoque *ô fons Bandusiæ* nobilium fontium *aliquis* fies, *in eorumq; numerum ascriberis & numeraberis, idq; me Horatio carmine aliquo* dicente, *canente, & laudante amœnitatem, & umbrosam opacitatem tuam densam ilicem innatam &* impositam *antrisque* cavisque saxis *illis, ex quibus tu erumpis &* unde Lymphæ tuæ loquaces *trepidantes & cum murmure labentes defluunt, &* desiliunt, *commendante & immortalitati consecrante.*

ODA XIIII.

AUGUSTI LAUDES.

Jam

IAm demum ô cives, Romani jam demum fas est victimis & sacrificijs oblatis Dijs immortalibus gratias agere frontemq; exporrigere, propter gloriosam illam victoriam, quam D. Augustus Cæsar de Cantabris Hispaniæ populis jam tandem devictis, & subactis reportavit. Etenim jam D. ille Augustus Cæsar victor & triumphator (qui modo laurum, & victoriam de tam ferocissimis hostibus, morte venalem, & non nisi cum summis vitæ periculis emendam ab extremis occidentis oris petiisse & Romam reportasse dictus & triumphum cum periculo mortis consecutus est) Deos patrios Penates, patriamq; suam Romam ab extremâ Hispanicâ versus Septentrionem orâ, repetit, seq; gloriosissimè suis restituit: Idq; magni illius Herculis ritu; Nam velut Jovis ille & Alcmenæ filius summis periculis exantlatis post interemtum tergiminum illum Geryona maximâ boum copiâ, multisq; spolijs dives, & superbus in Italiam revertens in documentum Hispaniæ à se devicta duas columnas post se positas reliquit: Ita etjam Augustus, tot annorum bellis hostibus tandem superatis, & in servitutem redactis gloriosissimum triumphum agens ad suos revertitur. Castæ igitur matronæ vota pro salute Cæsaris facta solvant, & honesta, unoque marito gaudens & contenta mulier ad Deorum pulvinaria, & aras Divis immortalibus justis, & D. Augusto justa & debita pro suâ virtute & fortitudine præstantibus operata, sacra faciens & victimas offerens prodeat, & procedat: quarum socia vel dux sit magni & Clari Ducis D. Augusti Cæsaris soror Octavia minor, M. Vipsanij Agrippæ conjux & reliquæ matronæ natu grandes, & virginum juvenumque militum matres, illorum qui nuper è tam periculoso bello salvi & sospitis cum Augusto in patriam redierunt, supplice, inq; sacrificijs convenienti habitu matronali, & vitta decoræ & exornatæ sacrificent. Vos autem ô pueri protervi & petulantes, & vos puellæ meretrices jam virum expertæ, naturâ procaciores, & lascivæ, hæc sacrificia silentio & reverentiâ commendate, & male ominatis nominatisq; verbis, clamoribus litibus, jurgijs, altercationibus parcite, ab ijsq; abstinete, & animis vestris favete, & linguis, omniaq; mala benè precando avertite. Nimirum hic præsens dies, quo tam gloriosus triumphus instituitur, non fictè aut simulatè sed verè mihi festus & sacer, omnes curas atras & mordaces, omnesq; ingratas cogitationes ex animo meo tollet & eximet; Præsertim cum nihil imposterum in mundo futurum sit, quo ego amplius sollicitari vel perturbari possim: Etenim

Cæsare *Augusto* terras tenente, *mundiq́ imperium administrante omnia læta tranquilla & pacata erunt; egoq́* nec *civilis belli furorem &* tumultum, *nec rebellantium populorum commotiones, seditiones, aut conspirationes*; nec *civilis belli furorem perniciosum*, *nec rebellantium populorum commotones, seditiones, aut conspirationes*; nec *deniq́ in conjuratione aliquâ vel bellico tumultu* per vim, *non naturali morte* mori metuam *vel reformidabo.* *Heus igitur* puer *famule celeriter abi, mihiq́ ad futura convivia & lætitias preciosum* unguentum, *quo imbuar*, & *serta atq́* coronas *quibus exorner*, pete *& adfer*: Cadum *etjam optimi & vetustißimi vini*, qui *ante multos annos in cellâ promptuariâ conditus sit*, & belli Marsici, *quod ante septuaginta annos cum Romanis gestum est* meminerit; Si quà *etjam dolium vini, vel testa* Chrysum & Spartacum, qui *sedecim annis post bellum Marsicum confluente servorum fugitivorum multitudine* Italiam *cæde, latrocinijs & rapinis per*vagatus, *omnia paßim vina populabundus diripuit, & absumsit* fallere, *& evitare* potuit, *quam non cum fugitivis suis militibus ebiberet, ex illâ vinum mihi profer.* Propera *etjam* ad argutam *& canoram fidicinam vel Psaltriam* Neæram, illique dic, *ut capillos*, crinemq́ *suum non curiosè & sedulo componat, sed illum tantum* myrrheo *unguento* delibutum nodo *aliquo colligere constringere &* cohibere, *ne mihi in morâ sit, festinet, & ad me venire* properet. *Quod* si per invisum, *morosum & ingratum, ejus* janitorem mora fiat, *ut te non statim intromittat, noli ulteriùs apud ipsum instare, sed* abito *tantum.* *Ego enim Horatius jam senior, & ætate frigidior de iracundiâ & indignatione rerum hujusmodi multùm remisi, facileq́ mitigor.* Nam albescens *capitis mei* capillus *& cani mei* animum *meum ad ultionem & vindictam aliàr ardentiorem, & vehementiorem, &* litium, *altercationum*, & proter*væ petulantiæq́* rixæ, cupidum, lenit, *& mitigat.* *Sane ego* Horatius *in juvenili adhuc ætate constitutus*, L. *Munatio* Planco Coss, *cum essem viginti trium annorem*, juventute calidus *& iracundus*, non tulissem *me à janitore aliquo fuisse impeditum vel prohibitum.*

ODA XV.

IN CHLORIN.

Uc

Ut vetula libidini modum ponat.

Libidinosa turpissima anus, & decrepita, atq; amatoribus ingrata vetula, quæ uxor & conjux es pauperis illius, & tenuis honestiq; Ibyci: quousq; tandem ætate jam grandiori junioribus adulteris te turpissimè prostitues, alijsq; junioribus puellis immiscebis? Quin tu tandem modum fige, tandem finem pone nequitiæ & obscenæ libidini tuæ, & Venereis, meretricijs, famosisque laboribus, turpibus operibus. infamibusq; adulterijs tuis. Desine tandem cum jam propter grandiorem ætatem maturo funeri, & tempestivæ morti propior & vicinior sis, te junioribus puellis æqualem gerere: Desine, turpis & delira vetula, inter virgines teneras ludere & jocari, & desine deniq; te aridam & exsuccam vetulam puellis ætate florentibus adjungere, tuis tenebris virginum splendorem obfuscare, & candidis illis & lucidis stellis tuâ præsentiâ aliquam nebulam, & nubem adspargere. Sanè vetulæ libidinari, & lascivire fœdissimum pariter, & intolerabile est. Non enim statim si quid juvenem puellam, aut filiam tuam Pholoën decet, & satis exornat, tibi quoq; Chlori deformi vetulæ matri ornamento erit. & te decebit erit. Etenim filia tua ætate florens, & integra longè rectiùs juvenum domos suâ pulcritudine expugnat, ipsos juvenes sibi dedi cogit, & captivos detinet; insano amoris adfectu rectius agitatur, & commovetur, ut aliqua Bacchi sacerdos Thyas, aut Mænas tympano impulso, & concitata Bacchico furore discursat, & vagatur. Quid enim mirum si junior puella juvenem adolescentem amet, & pares cum paribus facilè conveniant? Etenim illam filiam tuam juvenculam, & lascivæ capreæ aut capellæ similem amor pulcherrimi juvenis Nothi ad amandum impellit: illamq; lascivire, petulantiam exercere, & amatorê suo colludere cógit. Quæ in te jam vetulâ & deformi absurda pariter, & fœda sunt. Nam te vetulam & anum colus, fusus, radius, & lanæ optimæ, quæ apud nobilem & laudatam Luceriam Apuliæ civitatem ab ovibus detonsæ sunt, decent, & exornant; non juvenum amor, nec ludus aut jocos amantium, non blandi amatorum cantus, aut citharæ; non fragrantia serta, nec flos amœnissimæ rosæ purpureus, nec deniq; vasa vini aut cadi, quos dies noctesq; more juniorum meretricum exhaurias, & usque ad fecem epotes & evacues.

ODA XVI.
AD MÆCENATEM.
Se suâ sorte contentum & beatum vivere.

QVanta auri & argenti omniumq; munerum vis sit plurima mortalium documenta testantur, & inprimis fabula de Acrisio Argivorum rege, qui cum ex oraculo didicisset, se à nepote ex filiâ Danaë vitâ privatum iri: Summa curâ filiam suam custodijt, ne quis ad illam penetraret, à quo gravida facta patrem morti daret. Ibi *sane* turris ahenea, *& carcer subterraneus validissimus*, & fores, *januæq; solidæ* & robustæ *ferro atq; ære undiq; munitæ*, & *deniq;* canum *per totam noctem* vigil*antium mæstæ, severæ, duræ, &* tristes excubiæ satis munierant *& custodierant* Danaën *turri* inclusam ab adulteris *corruptoribus stupratoribus* nocturno *tempore ad illam commeaturis*: *si modò auri & argenti vis ejus pudicitiam* non *expugnasset, & maximus ille Deorum* Iupiter *in aurum mutatus, & per imbrem in sinum Danaës infusus*, & Venus *Iovi auxilium ferens, illam sollicitam virginis custodiam, tanquam vanam & irritam (sine DEO, contra DEVM & Deorum oracula aliquid machinantem) contempsisset, &* Acrisium virginis *in carcere* abditæ *filiæ suæ Danaës* custodem *anxium &* pavidum, *deq; suâ vitâ & salute sollicitum,* irrisissent. *Illi* enim Dij *sciebant* tutum & patens iter, *facilem & expeditum aditum, ad* Danaën fore, *si* Iupiter DEVS in *aurum, grande stupri* precium *&* ***mercedem*** **conversus** *vel transmutatus* esset, *ad eamq; aditum patefecißet, ejusq; pudicitiam auro expugnâsset. Nimirum auri non ad pudicitiam solum, sed ad omnia humana expugnanda, immensa vis est & potentia, nihilq; tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ poßit. Nex anxiæ & sollicitæ custodiæ illam impedire possunt.* Aurum *enim* per medios *custodes &* satellites *alicujus magni principis aut regis* ire, *aditumq; ad illos patefacere* amat & *durißima etjam* saxa longè potentius *& validius frangere &* perrumepere *solet,* quàm fulmineus ictus, *& tonitru. Hoc multæ familiæ, multæ urbes, & regiones proditionibus funditus deletæ, & solo æquatæ indicant.* Nam ob lucrum

uni-

universa domus & familia nobilißimi illius auguris Argivi Amphiarai exscidio & exitio concidit eversa & demersa est. Amphiaraus enim, cum à Polinice ad bellum Trojanum, in quo se periturum præsciebat, una proficisci sollicitaretur, ut belli illud periculum effugeret sese abscondit. verum propria uxor Eriphyle aureo mondli corrupta ipsum Polinici prodidit. Qui ad bellum Thebanum perductus ibidem à terrâ absorptus fuit. Quid de familiis dico? imò magnarum urbium portas, & æratas potentißimarum civitatum fores vir Macedo Philippus Alexandri magni pater, diffidit, divisit, & perrupit: nec ipse Philippus, sed Philippi aurum Græciam domuit, & reges Græciæ, principesq; de regno & principatu inter sese per æmulationem & invidiam contendentes muneribus corruptos, postea subruit, prostravit, & evertit. Nempe qui dicere solitus est, nullam arcem, ad quam asinus auro onustus accedere posset, esse inexpugnabilem. Sic est aurum & munera in mundo omnia possunt, & sævos etiam & immites ac inplacabiles navium duces gubernatores, & piratas illaqueant, irretiunt, & corrumpunt. At verò, quàm misera & calamitosa auri & pecuniarum (ad quas per tot scelera, delationes, & proditiones maxima hominum pars adspirat) possessio est! quippe cujus inexplebilis cupiditas nec expleri nec satiari potest, & una cum pecunia augmentum sumit, & incrementum. Etenim pecuniam crescentem (quod timidum malum est) cura anxietas & sollicitudo perpetuò sequitur & comitatur, & fames ac desiderium plurium & majorum pecuniarum: Atq; ita divitiarum possessores duobus semper malis premuntur, acquirendi desiderio, & amittendi metu. Hinc nimirum factum, o Mæcenas equitum Romanorum decus, & splendor, quòd ego Horatius semper, idq; jure ac meritò verticem capitis mei multis hominibus late conspicuum in sublime attollere, & ad maximas opes, splendidas divitias, splendoris honoris & dignitatis fastigia & culmina evehi & exaltari perhorrui, & reformidavi; utpote cum cura, sollicitudine, anxietate, & tot malis conjuncta. Profectò quanto quisque plura sibi denegaverit, & quo quis divitias & honores magis spreverit, seq; magis humiliaverit, tanto magis à Dijs exaltabitur, plura à Dijs feret, & accipiet, & Deorum munere felicitatem & beatitudinem à DEO consequetur, & in re tenui & mediocri, quà hilariter & securè perfruitur regum divitias, & honores antecedit. Ego verò Horatius in illorum numero esse desidero, qui pauca tantum poßident, nec plura expetunt: atq; adeò nudus, omnibusq; rebus externis in vitâ mor-

mortalium exulas, illorum *potius hominum consortia & castra peto*, qui nihil cupiū, *nihilq; desiderāt, & parcitate paucitateq; gaudēt*; & gestio *cupioq;* divitum partes *& consortia* (*tanquam* transfuga *ab uno exercitu in alium fugiendo transit*) relinquere, *nec cum illis esse, qui in maximis divitijs anxij & sollicitisunt, & magnas inter opes indigent. Nempe ego pauperis, vilis, &* contemptæ *à divitibus* rei dominus, splendidior, *lautior, & ditior sum, dum securo animo hilariter & jucundè illâ perfruor*, quàm si *longè ditißimus essem, inq;* meis horreis, quicquid impiger *& laboriosus rusticus* Apulus *in arvis feraciscimis* arat *serit & metit*, occultare *& reconditum habere* dicerer; *& interea ob insatiabilem animi cupiditatem rebus meis partis non perfruerer, & ritu avarorum* inter magnas opes *& facultates* inops *& egenus more Tantali & Midæ viverem. Nimirum hæc mea tenuis & contempta res, quam dixi, &* rivus *in agro meo Sabino* puræ *& jucundæ* aquæ, *& arbusta ibidem*, vel sylvæ, quæ pauca *tantum* jugera *suo ambitu* continent, & fides, *ac spes* segetis meæ, *ejusq; annui proventus*, quæ vanâ spe me nunquam lactat, *nunquam* fallit: *illa, inquam, res spreta ac tenuis fallit & latet* fertilisſimæ *& amplißimæ* Africæ *regem*, imperio *& principatu suo* fulgentem, *splendidum & superbum*: latet, *inquam, ipsum, & ab illo ignoratur, quod nimirum condicione &* sorte *melior & felicior sit; ut qui imperator ignorat, in rebus modicis vitam esse longè jucundißimam. Interea* quanquam *divitijs non abundo, non tamen sordidus vivo, sed quamvis in tenui re, satis lautus & liberalis.* Quanquam *enim agros in Calabriâ, in quibus flores apibus gratißimi sunt, non habeo*, nec Calabræ apes mella *mibi* ferunt, nec Bacchus *aut vinum præ copiâ* in amphorâ Læstrigoniâ *in Formianâ regione*, (*ubi olim Læstrigones habitârunt, & optima vina proveniunt*) mihi *non* languescit, *nec acescit, inq; vappam degenerat*: nec *deniq; crassæ ac densæ lanæ, &* pinguia vellera *in* Gallicis pascuis *in ovibus* crescunt, *& inde detonduntur*: tamen importuna *& odiosa* paupertas, *& sordes à me absunt.* Nec si plura *poßidere* velim *aut desiderem*, tu, *o Mæcenas, quæ singularis tua liberalitas & magnificentia est, plura mibi* dare deneges *aut recuses. Ego verò Horatius* contracto *maximarum divitiarum* cupidine, *earumq; cupiditate refrenatâ & compreſsâ* parvum vectigal facilius *pendam aut solvam*, *&, utpote paucorum poſſeſſor, minora etjam tributa faciliùs* porrigam; *nec à me etjam adeò magna exigentur*, quam si es-

si essem ditissimus, & regnum Alyattæ Lydorum regis Crœsi patris ditissimi cum campis Migdonijs & totâ Macedoniâ possidendo continuem *& conjungam. Sic est*: multa petentibus *& desiderantibus* desunt *quoq;* multa, *& avarus semper eget; contra qui nihil appetit omnia habet. Atq; adeò illi* bene est, *ille felix & beatus vivit, qui modicâ re lætus, & contentus vivit, &* cui DEVS obtulit quod satis est, *idq;* manu parcâ : *cui DEVS pauca quidem dedit, & tanta dedit tamen, quibus* acquiescit, *ut ulterius nihil desideret.*

ODA XVII.

AD AELIVM LAMIAM.

Quem nobilem laudat, monetque ut crastini diei inamænitatem hilaritate discutiat.

ÆLI *Lamia, qui à* vetusto *& antiquissimo Neptuni filio* Lamo *primo Læstrigonum duce genus tuum deducens* nobilis *& generosus es* : Siquidem hinc, *ab hoc scilicet Lamo, qui cum Læstrigonibus ex Siciliâ in Italiam veniens, inter Tarracinam & Sinuessam* Formias *civitatem condidit*, et *jam* priores *parentes & progenitores tuos* denominatos *fuisse historiæ memorant; & hinc* omne genus *nepotum & posterorum suorum tui, & aliorum*, per *historiarum fidem, & urbis Romæ annales &* fastos memores, *tuorumq; majorum crebram mentionem facientes, nomen sortitum esse, verè dicunt &* perhibent. *Nimirum tu* originem *genus & familiam tuam* ab illo auctore deducis, qui *quondam* princeps & tyrannus *in Italiâ longè* lateq; *imperans, civitatis* Formiarum mœnia *in Campaniâ condidisse*, & Lyrin *Campaniæ fluvium*, qui Maricæ *Minturnensium Deæ Nymphæ marinæ Fauni uxoris & Latini matris, ejusq; templi in ripâ fluminis conditi* littoribus innatat, *inhabitasse &* tenuisse dicitur: *nobilissime inquam Æli Lamia: Crastinus dies pluvius & inamænus futurus est, cujus ingratam inamænitatem tu genialiter & liberaliter vivendo mitigabis & temperabis. Nam gravis aliqua* tempestas *à turbulento illo vento* Euro *agitata ac de-*

orſum demiſſa, cras ipſum nemus multis folijs ab arboribus dejectis, & ipſum littus maris multâ inutili algâ herbâ marinâ vi fluctuum & ventorum è mari ejectâ ſternet, extendet & complanabit: niſi forte annoſa illa & ad multos annos vivens cornix, quæ ſuâ crocitatione futuræ tempeſtatis augur & prænuncia, & aquæ atq; imbrium divina & præſcia avis eſt, me fallit, & ſuo vaticinio decipit. Quin igitur tu dum adhuc potes, dumq; tibi per ætatem licet, in tempore voluptates occupa, & aridum lignum, quod ignem citius concipiat ad frigus craſtinum pellendum compone & inſtrue. Craſtinum enim diem lætum & hilarem tranſiges, Geniumq; tuum laute & liberaliter mero liberaliter epoto curabis; idque cum bimeſtri duorum menſium delicato porco mactato in lætum futuræ commeſſationis, & convivij uſum cum amicis mactato, & famulis adminiſtriſq; tuis omnium operum & laborum vacuis ac ſolutis. Nimirum quibus die illâ lætâ quietem & ocium ab omni opere merito indulgebis.

ODA XVIII.

AD FAVNVM.

Quem orat ut ſuæ pietatis memor, nullum ſuis finibus damnum inferat.

DEVS ruſticorum & agreſtium Faune, qui propter inſignem laſciviam & ſalacitatem tuam Nympharum ſylvarum & arborum Dryadum & Hamadryadum, te, ne pudicitiam ſuam amittant fugientium amator es: tuum præſens numen ego ſupplex oro & compello, ut per meos agri in Sabinis terminos & fines, perq; rura mea ſolis radijs modicè illuſtrata aprica & temperata lenis; placidus, & propicius, nullamq; mihi noxiam inferens, incedas & tranſeas, & mitis, æquus & placatus ovium & caprarum teneris alumnis agnis & hædulis abeas, nullamq; ipſis noxiam inferas. Siquidem tui numinis cultu & religione, ut mihi propicius ſis, omnino promerui: quippe cum ſingulis annis ſacrificijs & victimis oblatis tuum numen ſemper placaverim, mihiq; propicium reddiderim. Nam tener hædus ſemper anno pleno & exacto in

ſto in tuum honorem cadit, & à me immolatur. Nec Veneris ſodali ampliſsimo poculo & crateri, quem in tui honorem liberaliſsimè ſtatuo, & qui propter Bacchum ſine quo Venus friget, Veneris comes, vina larga non deſunt; & vetus ara multis jam annis à me religioſè culta, & ſacrificijs in tuam gratiam inſtructa multo odore largioris thuris ſuccenſa quotannis ſemper fumat, Maxima etjam tua viciſsim in me extant beneficia & ampliſsima in omnes mortales merita. Etenim cum Nonæ Decembris quotannis redeunt, & tibi Faunalia anniverſaria feſta inſtituuntur, tunc omne pecus tanquam illam feſtivitatem ſentiat, in campo herboſo, gramineo, & læto ludit, & exſultat. Quin etjam univerſus pagus, & omnis ejus ruſticus & incola, feſtus & tua ſacra celebrans unà cum bove aratore ab omni opere ceſſante & otioſo in lætis pratis vacat, quieſcit, & feriatur. Atq; adeo ut eò magis numinis tui præſentia omnibus hominibus innoteſcat, ſævus & truculentus lupus inter agnos audaces & lupum non timentes lenis errat, & vagatur, omnemq; feritatem ſuam deponit. Quin etjam illo ipſo tempore arbores vireſcunt; & ſylva tibi & in tuam gratiam agreſtes frondes & folia producit, quæ quamvis Decembri menſe, mediâ hieme populus in tuis ſacris ſpargit, & humum illis exornat. Deniq; vel ipſe foſſor, quamvis compede vinctus, ærumnabili labore dum fodiendo agrum invertit feſſus & defatigatus; præ lætitiâ ſaltare & tripudiare, & terram, propter laborem, quem in eâ inuertendâ perferre cogitur, odioſam & inviſam, ter pede pepuliſſe, & hilariter exſultâſſe, tui ſacrificij temporibus gaudet, & delectatur.

ODA XIX.

AD TELEPHVM.

Quem reprehendit, quod veterum hiſtoriarum ſtudio voluptatem negligat.

QVid de te, & ſtudijs tuis judicare debeam, Telaphe, equidem ignoro; qui quidem antiquiſsimas temporum ſupputationes, & priſcorum regûm & illuſtrium virorum Genealogias & res egregiè geſtas, & præteritas tanto ſtudio indages, & poſteritati per hiſtorias conſecrare

studeas, quæ vero ad præsentis temporis voluptatem & jucunditatem pertinent, supinè negligis, & contemnis. *Etenim tu Historicorum more computas, &* narras *vetustissimas illas & obscuras temporum rationes*; quantum *nimirum temporis inter antiquissimos reges intersit; & quot annis generosissimus ille & antiquissimus secundus Atheniensium rex* Codrus *Melanthi filius*, (*contra quem cum Peloponnesij bella gerentes, ex oraculo didicissent, tum se victores fore, si hostium regem non interemissent: Codrus pauperi habitu hostes in suum exitium provocavit, & suis victoriam peperit, &* pro *suâ* patriâ mori non timidus, *sed intrepidus & imperterritus fuit*) *quantum, inquam, ille* distet ab Inacho *primo Argivorum rege.* *Exponis etjam totum* genus illius *Iovis filij* Æaci, *Æginæ regis, inferorum judicis, ex quo Phocus, Peleus, & Telamon, Ajax, Teucer, & Achilles oriundi.* *Describis etjam antiquissima illa* bella, *quæ ad Thebas gesta sunt, & quæ* sub Ilio *à Divis condito &* sacro *ad Trojam decem annis* pugnata *sunt: nihilq; intermittis, quod ad eximij Historici munus, vel officium pertineat.* *Contra illud, quod ad præsentis vitæ voluptatem attinet, nihil curas, deq; illo silentium agis &* taces: *nimirum* quo precio, *& quanti* cadum *aliquem* vini Chij *optimi & peregrini* mercemur *& emamus*; quis *nobis discubituris* aquam *ad balneum, in quo antequam discumbamus lavemur, & inungamur*, ignibus temperet, *& calefaciat*: Et quo*nam amico aut familiari* domum præbente, *& nos amicos suos domi suæ ad convivium invitante*, & quotâ *horâ nos convivas ad se vocet, & locum tempusq; ad discumbendum nobis designet & significet, ut frontem possim exporrigere, & ad convivium invitatus, prope luculentum aliquem focum in hâc, ubi jam dego regione*, Pelignis frigoribus caream, *meq; ab hujus regionis inclementiâ tuear.* *Tu, inquam, de hisce omnibus nihil memoras, quæ tamen in præsentiâ majoris momenti sunt, quàm illa præterita ad nos nihil pertinentia.* *Ego vero tuas Historias nihil morabor, teq; ut idem facias exhortor.* *Heus igitur, ô* puer, *cyathos vini mihi infunde, mihiq;* properè *& sine mora* da *aliquod poculum in honorem* novæ Lunæ *hoc noctis initio ebibendum*: da *aliquod poculum in gratiam* mediæ noctis, *in quam compotationem usq; producam, epotandum*: da *aliquod poculum in gratiam* Murenæ auguris, *qui jam in augurium collegium assumptus est, quiq; auguria sua matutino tempore captabit, evacuandum; nam per totam noctem perpotare, & lucernas vigiles in lucem, diemq; proferre animus est.* Pocula *autem in convivijs aut* tribus, aut novem

cya-

cyathis commodissimè miscentur, *aut propinantur. Infra enim tria pocula in convivio nulla gratia, sed mæstitia est: supra novem autem insania.* *Quare* qui *novem* Musas *numero* impares *tanquam* vates *&* *Poëta vino excitatus, & Dearum instinctu attonitus & stupefactus* amat, *ille in novem Musarum gratiam ternos cyathos, vel tria pocula ter, hoc est novies petet & evacuabit; Contra qui tres Gratias amat, ille tribus poculis contentus vivit.* Gratia *enim quæ numero ternario & impari gaudet, & quæ* nudis *duabus* sororibus *manibus connexis & complicatis* conjuncta *est, &* rixarum *jurgiorum, & insaniæ*, (*ad quæ si quis plures quàm tres cyathos ebibat facilè aliquis exsurgit*) metuens, supra treis *cyathos plures tangere & evacuare* prohibet. *Quia vero* insanire *& & Poëtico furore incitari, & ad novem Musarum numerum capacia pocula evacuare* libet *usq; ad insaniam, non me continebo intra Gratiarum numerum. Atq; heus,* cur Tybiæ Berecyntiæ *Phrygiæ in sacris Cybeles matris Deorum primum usurpari solitæ, cur, inquam, ejus* flatus *in nostro convivio* cessant *& otium agunt?* cur fistula *una* cum lyrâ tacitâ *& mutâ de pariete* dependet, *& nullum sonitum edit, nec pulsatur? Heus vos administri? quid tam ignavi estis in vino miscendo? Certè* ego dexteras *ignavas & otiosas, & vino miscendo* parcentes *& cessantes* odi. *Heus tu, puer, in secundæ mensæ apparatum* rosas sparge. *Vicinus autem noster* invidus *ille* Lycus *nostrum ebriorum* insanum strepitum *& furiosum tumultum non sine dolore* audiat; & vicina *ejus amica, quæ quoniam juvenis puella est* Lyco seni *inepta,* inhabilis, *intempestiva, & inconveniens est. Sane tu amore tuo felicior es, ó* Telephe, *qui nimirum inveneris, quæ te sponte & ultro amet & appetat: non aliquam tibi incommodam & intempestivam, ut Lycus.* Etenim Chloë *ætate tenera, tibiq; conveniens, opportuna, &* tempestiva *ultro appetit & amat* te *juvenem speciosum,* spissâ *ac densâ* comâ nitidum, *& bene curatâ cute, capillis unguento delibutis nitentem,* & puro vespero *Lucifero occidentali* similem, *lætum, hilarem, & serenum.* Me *autem Horatium amicæ* meæ Glyceræ amor *non ita ultroneus, sed* lentus, *languidus, & imbecillis,* torret, *& perurit.*

ODA XX.

AD PYRRHVM.

Ne formosum puerum à puellâ conétur abstrahere.

FRustra es, ô Pyrrhe, *qui Nearchum adolescentem à puellâ, à quâ amatur, per vim auferre & rapere nitâris.* Nonne *enim* vides, *quod* quanto periculo, *& vitæ discrimine aliquis venator* leænæ Getulæ *& Libycæ immanissimæ* catulos *& juniores fœtus eripit, quod etjam tu tanto periculo adolescentem* Nearchum *puellæ suæ eripias, &* amoveas. *Quamvis enim jam tanquam* raptor *animosus & robustus magnâ animi confidentiâ ipsum rapere & auferre tentes: tamen* paulo post *meticulosus ignavus &* inaudax dura prælia *cum illâ tanquam cum leænâ* fugies *& vitabis, teq; in fugam coniciens victum fatebere*, cum *scilicet illa viâ vi factâ tanquam rabida leæna* per *medias* juvenum catervas *ipsi* obstanteis, *& ne juvenem repetere possit impedientes & resistentes* ibit *& perrumpet*, insignem *suum juvenem, formosissimum illum* Nearchum *à te per vim* repetens. *Nimirum tum inter te & illam* grande *prælium, magnum* certamen *futurum est, utri* major præda, *tibine habenti*, an illi *repetenti* cedat, *& uter vestrum superior Nearcho potiturus sit.* *Nam* interim dum tu *tanquam venator catulum rapturus arma &* celeres sagittas *tuas, quas in illam tanquam leænam conijcias*, depromis *& producis*; hæc *etjam tanquam leæna sibi non deerit, &* dentes *suos* timendos *& formidandos maledicentiâ, convitijs, & contumelijs* acuet *& armabit.* *Ille verò Nearchus tanquam* pugnæ arbiter sub *suo* nudo pede, *sub suo uno & solo arbitrio* palmam *vel victoriam* posuisse dicitur, *& in suâ potestate situm esse existimare, cuinam illam palmam velit* adtributam, *& ad quem ipse se velit convertere, ut vel maximè vos de palmâ acerrimè inter vos contendatis.* *Nimirum qui de vobis contendentibus securus esse*, & *humerum suum* leni *aliquo* venti spiramine recreare, *& in æstu refocillare*, per quem humerum capilli *unguento imbuti &* odorati sparsi *& defusi* sunt, *perhibetur.* *Nempe qui suâ pulchritudine tantarum litium & contentionum vobis causam præbet, utpote longè formosissimus*

ſiſſimus & talis egregio corporis nitore, qualis Nireus *Charopi rex, Ismæ & Aglajæ filius* fuit, *qui omnium Græcorum pulcherrimus ad Trojam profectus est unico Achille excepto*; aut *qualis fuit Ganymedes*, *Trois filius formoſiſſimus*, qui ab *monte* Idâ aquoſâ *& fontibus abundante per aquilam in cælum* raptus *fuit*, *ut ibi Iovis pincerna & catamitus*, *Dijs nectar præberet, & infunderet.*

ODA XXI.

AD AMPHORAM.

Vnde in Corvini gratiam depromturus eſt vinum; quod laudat.

V*Ini amphora ac* teſta pia *atq; ſancta*, *quæ mihi Horatio æqueva eodem quo ego tempore* L. Manlio Torquato, *&* L. Aurelio *Cottâ* Conſule *condita &* mecum nata *es*: *Quodcunq; etjam* tu *vinum tibi incluſum geris*, ſive *illud pro varijs bibentium ingenijs* querelas *& mæſtitiam in animis illorum gignet & producet*; ſive jocos *& ludos*; ſive *rixas, lites, & contentiones, in quas aliqui ebrij ſolent exurgere*; ſive amores, *qui homines* inſanos *reddunt, maximè ſi potu largiore exſtimulentur*; ſive *deniq;* facilem *levem, & tranquillum* ſomnum: O, *inquam, teſta*, quacunque *etjam conſulis* nomine Maſsicum *illud nobiliſſimum Campaniæ vinum*, *quod geris &* ſervas, *ex uvis* collectum, *& in te reconditum ſit*; *& quamvis annus quo provenisti, non ſit additus, ut ex nomine Conſulis additi*, *ætas vini cognoſci poſſit*, *Illud omne nihil refert, nihil ad rem pertinet*: *Certè tu, amphora*, digna *es*, quæ bono, *fauſto, & læto* die movearis, *& in uſum producaris, atq; depromaris. Age ex editiori Apothecâ, in quâ recondita es*, deſcende, ut Corvino, *dignitate, excellentiâ, & virtute ſuâ hoc ipſum* jubente, *& promerente* vina *ætate jam decocta, minusq; fortia &* languidiora, *lenia atq; delicata* depromas, *& in lætum futuræ feſtivitatis uſum proferas.* Nam *Corvinus* ille quamvis *pectus habeat Sapientiæ præceptis imbutum, ebrium, & irrigatum, & quanquam jam ante* Socraticis ſermonibus madeat; *non tamen adeo* horridus, *tetricus, & ſeverus eſt*, *ut* te negligat, *& contemnat, & lætiſſima tua munera reſpuat, aut à te etjam*

imbui

imbui & inebriari spernat. Nam etjam M. Catonis *illius Censorij Senioris*, prisci *vel Majoris, insignis* virtus, *& excellens dignitas & severitas* sæpe *ad multam noctem cum vicinis rusticis & servis suis vino largiùs sese invitâsse, & largiore, vini potu &* mero *efferbuisse &* incalvisse narratur; *omnibusq; severis cogitationibus, & curis valedixisse.* Hoc enim, *præ reliquis excellens tua virtus, & potentia potest: Quippe cujus vires & facultates immensæ sunt.* Tu *enim, ô vinum, largiùs & liberaliùs epotum,* duro *& severo* ingenio, *(ex quo aliàs nulla tormenta aliquid extorquerent)* plerunq; *tui caloris & muneris* lene, *mite, ac placidum* tormentum admoves, *quo animi secreta & abdita ultro fatentur;* Tu *etjam vino &* Lyæo *tuo, quod inclusum geris curas solvente &* jocoso Sapientum curas *studia, & meditationes*, & arcanum *secretumq;* consilium retegis, *& manifestas.* Tu *etjam suis rebus diffidentes & desperantes rursus sperare jubes, &* mentibus *deploratis* anxijs, *& sollicitis,* spem, vires, *animiq; robur* reducis; Et *homini* pauperi *abjecto & contemto* (qui post te, *ô vinum, largiùs potum, & postquam te liberalius bibit, & exhausit; tunc* neque regum, *aut summorum Monarcharum* iratos apices, *infestum fastigium, majestatem & potentiam timendam & inclementem*, neque *fulgentia* militum *& satellitum* arma tremit, *& exhorrescit) illi, inquam, pauperi pugnandi audaciam, ferociam, confidentiam, &* cornua *deniq; quibus tanquam cornutus & petulcus bos in pugnam procedat,* addis, *eumq; ex timido audacißimum reddis.* *Tibi, ô amphora, pro hoc tuo beneficio summos honores vicißim polliceor. Nam lætitiæ ille dator, sanctißimus Deus* Liber, *vel Bacchus, (utpote vini præses) in nostro convivio præsto apud te erit.* Et gratiæ *illæ jucundißimæ quæ* segnes *& tardæ sunt* in solvendo *vel rumpendo amicitiæ & concordiæ vinculo* nodoq;, *quo tam firmiter inter se conjunctæ sunt, ut ægrè dißideant, & distrahantur: Illæ inquam, Gratiæ, si modo alma illa &* læta Venus *(cujus illæ perpetuæ comites sunt) nobis* aderit *in convivio*, & lucernæ *per totam noctem ardentes* vivæ *& vigiles; Illi inquam, Dij & tanta numina* te *amphoram, tuumq; vinum per totam noctem potando* producent, & *prolongabunt, teq; in lucem & diem usq;* dum radians *ille* Phœbus *matutino tempore ad nos rediens. suis radijs reliqua minora* astra fugat, *& obscurat, protrahent, perq; totam noctem proferent.*

ODA

ODA XXII.

IN DIANAM.

Cui pinum consecrat.

I*Ovis & Latonæ filia* Diva triformis *& tergemina sanctissima Diana, quæ in cælo* Luna, *apud inferos Proserpina, in terris venatrix Diana es, quæ* montium *& convallum* custos, & nemorum *perpetuæ castitatis amans* virgo *& venatrix in sylvis & montibus tuas venationes exerces;* quæ *parturientium Dea es &* puellas *ac fœminas partui propinquas, &* utero *dolenteis, &* laborantes; *postquam* ter *ab ipsis exorata & invocata es,* exaudis, *tua*que *ope & auxilio* letho *mortiq;* adimis; *Arbor illa* pinus quæ villæ *meæ* imminet *& vicina est, & fundo meo impendet,* tua fit, *illam tibi, tuoq; numini consecro. Nimirum* quam *pinum*, ego *singulis annis sacrificio hilari lubens atq;* lætus *in tuam gratiam & honorem sanguine perfundam & aspergam, &* quam per exactos *& finitos* annos *atq; adeo quotannis* sanguine *alicujus* verris qui *obliquo suo dēte,* obliquum *etjam* ictum *iu suum adversarium* meditetur, *& juxta dentis positum ex obliquo & per transversum feriat,* donem, *ejusq; mactatæ victimæ sanguine irrigem & perfundam.*

ODA XXIII.

AD PHIDILEN.

Deos puris manibus, bona conscientia colendos.

S*Ic est, ô vicina mea in agro Sabino* rustica *Phidile, si Deos invocabis & adorabis, omnium tuarum rerum lætum successum consequêris. Quippe omnia secunda sunt colentibus, adversa spernentibus Deos. Quare tu ô* Phidile si nascente lunâ *in novilunio, qui dies merito nobis rusticis sacer est,* manus *tuas* ad cælum *levatas sublimes &* supinas *sustuleris Deosq; adoraveris:* & *Deos tuos domesticos*

Lares & Penates thure, & hôrnâ *hujus anni & novella* fruge, & avidâ & *voraci* porcâ *in sacrificium & victimam oblatâ* placaveris, *tibiq; propitios reddideris: tunc* vitis *tuâ propter tuam pietatem fertilis* & fæcunda *futura, ab omni incommodo immunis,* Africum & *Austrum humidum calidum &* pestilentem *ventum, corruptionem & putredinem inducentem,* non sentiet; nec seges *tua* rubiginem quæ *aristis* sterilitatem & *fœdum marcorem* inducit nec *pueri filij &* almni *tui* dulces & *cari* anni parte pomiferâ *autumno* grave tempus *morbos & ægritudinem experientur. Nihil autem est, ut de magnis sacrificijs & splendidis victimis sollicita sis; præsertim cum Dij non victimas aut sacrificia, sed animum, religionem, pietatem, fidem hominum respiciant. Atq; adeo magnæ victimæ magnos viros & pontifices decent:* Nam victima *Dijs* devota & *sacrificijs destinata & promissa* quæ *in monte* Algido *frigido &* nivali *duodecim millibus passuum ab urbe distante,* inter quercus & Ilices *aliasq; arbores* pascitur; aut *quæ* crescit in herbis Albanis, *ubi nivei tauri non nisi à Pontifice mactandi sunt: illa victima* cervice *suâ præcisâ & sanguine inde profluente* Pontificum *maximorum* secures tinget & *imbuet, & à solo Pontifice mactabitur: contra te rusticam Phidilem* (quæ *non magnos Deos Iovem & alios sacrificio placas sed* parvos *tantum* Deos *domesticos & Penates* rore marino, & fragili, *fragranti, & bene olenti* myrto coronas) nihil attinet *magnos illos Deos multâ ovium &* bidentium cæde tentare. *Nam* si manus *tua ab omni scelere & flagitio* immunis *Deorum immortalium* aram tetigit (*quamvis levi humiliq; sacrificio*) *tunc* nulla hostia sumptuosa, *nulla victima magna & splendida Dijs gratior,* blandior, & *acceptior erit, &* Penates Lares, *Deosq; domesticos iratos &* aversos farre pio *in sacrificium oblato &* mica *salis in ignem conjectâ* saliente & *crepitante,* mollibit, *placabit & mitigabit.*

ODA XXIIII.

IN AVAROS.

Q*Vorsum attinet ô mortales, maximis laboribus & periculis opulentissimas divitias accumulare, quibus neq; animi sollicitudines, neq;*

neq; mortem effugere & evitare poßitis? *Etenim quamvis tu ditior & o*pulentior *sis* thesauris Arabum intactis, *& à Romanis armis nondum occupatis*, licet etjam divitis *& opulentæ* Indiæ *divitijs* major *& superior* universum Tyrrhenum publicū *omnibusq; patens & expositum* mare *lapidibus* tuis *cæsis, &* Cæmentis, *ad ædificandum paratis ædificijs palacijsq;* occupes, *& complanes, atq; adeo omnium mortalium ditißimus sis:* *tamen* si dira, *horribilis, & inevitabilis moriendi* necessitas, *& fatum*, summis *capitis tui* verticibus *in excelso dignitatis gradu constitutis*, clavos *trabales firmißimos, atq; adeo* adamantinos *affigat extremamq; neceßitatem admoveat*; animum *tuum à moriendi* metu non *liberabis & explicabis*, nec caput *& collum tuum à* mortis laqueis expedies *aut extricabis.* *At verò quantò rectius vitam tuam ageres, si modica mâlles, quàm nimia.* *Certè* Scythæ *illi* campestres, *qui in tractu septentrionali inter Mæotidem & Istrum habitant, in campis & agris sub scenis umbraculis & tentorijs*, & *vicini Scythiæ Europeæ incolæ* Getæ *duri*, rigidi *& asperi, rectiùs &* meliùs vivunt, *quàm nos Romani.* *Nimirum* quorum *currus &* plaustra domos vagas, *instabiles & incertas*, ex *regionis* ritu *& consuetudine*, trahunt *& in varia campestria loca transferunt*: quibus *agrorum* jugera *nullis separata aut distincta limitibus aut terminis*, nullis metis *aut decempedis* dimensa *aut descripta, sed immetata & communia,communes etjam &* liberas, *nulliusq; proprias* fruges, & Cererem *segetes & fructum* proferunt: *apud quos etjam* agricultura *quæ* longior *sit*, quàm annua, *vel unius anni spacium* non placet. *Nempe ubi per unum annum agrum colunt, per alterum à rustico labore vacant & præliantur, alternisq; vicibus laborant & otium agunt*, & illum qui *præteriti anni* laboribus defunctus est *& liberatus aliquis* vicarius *sequente anno succedens, & vicem priori reddens*, æquali sorte, *similibusq; rusticis laboribus sublevat &* recreat. Illic *etjam apud Scythas & Getas major humanitas & pietas est, &* mulier *quæ noverca est,ibi* privignis *suis* matre carentibus *nullam injuriam infert, sed* innocens, *humana, & benigna ab illis abstinet &* temperat, *nullamq; illis perniciem molitur.* *Certè apud quos vitiorum ignorantia plus præstat, quàm apud nos virtutis cognitio, nimirum ubi virtutem & probitatem, non autem opes & divitias inter bona numerant*; nec conjunx *ditißimis parentibus orta &* dotata virum *suum* regit, *ipsiq; imperat*, nec adultero *suo* nitido *& formoso plus credit aut* fidit, *quàm proprio viro.*

ubi magna *& eximia* dos *esse censetur* parentium virtus, *& innocentia, non eorundem opes & facultates*; & castitas *ac pudicitia*, *quæ* certo *constantiq;* fædere *conjugali* alterum *virum* metuit *& evitat, & ab illa tangi non vult.* Atque *adeò ubi aut non peccant, aut si peccent morte mulctantur*, *&* peccare *summum* nefas *& piaculum est*, aut *peccati pœna &* pretium *supplicio affici &* mori. O quisnam *est procerum Romanorum, qui suo ductu & auspicio hanc vitæ innocentiam, virtutem, & probitatem populo Romano introducat, & hisce civilibus bellis ac tumultibus finem imponat! Ante omnia necesse est, ut effrænatam illam &* indomitam *peccandi licentiam & impunitatem tollat, & severißimè coërceat. Atq; adeo quicunq; est, qui urbem Romanam à tot malis liberare, &* impias cædes & rabiem *& furorem* bellorum civilium tollere volet: *ille si tanto beneficio statuas post mortem promereri volet, illisq; suis* statuis *hunc titulum* subscribi quæret *& cupiet, quod* pater *patriæ suæ &* urbium *fuerit: ille effrænatam illam &* indomitam *peccandi* licentiam, *quæ nec armis nec legibus quodammodo reprimi posse videtur*, refrænare *& compescere tandem* audeat. *Nimirum hic tanto suo beneficio nominis sui immortalitatem consecuturus est; &* postgenitis *posterisq; suis* clarus *& laudabilis futurus. Posteris, inquam, suis,* quatenus (heu *summum* nefas *& impietatem maximam!*) *tum deniq; homines nostra bona intelligimus, cum illa quæ habuimus amisimus: quatenus nos qui viventes adhuc plerumq; iniqui & invidi sumus,* virtutem, *prudentiam & autoritatem* incolumem; *viros, inquam, bonos adhuc viventes & superstites* odimus *& aversamur: at virtutem illam, & prudentiam* ex oculis sublatam *viros bonos morte amissos & deperditos, jamq; ex oculis nostris sublatos* quærimus *quidem, sed non amplius invenimus. Ita dico licentia & impunitas severißimè coërcenda est, non conquerendum de seculi nostri impietate & malitiâ.* *Nam* quid tristes querimoniæ *& lamentationes prosunt? quid juvat nos propter hominum scelera mœstos sollicitosq; conqueri & lamentari;* si *scelus &* culpa *hominum capitali* supplicio *severißimè punita* non recîditur *& è medio tollitur?* quid *autem* vanæ *& inanes* leges proficiunt *si earundem exsecutio non instituatur? si sint* sine moribus; si *vita hominum secundum illas non efformetur, & mercatorum avaritia omnium malorum radix non coërceatur; si nullus mundi angulus quamvis periculosißimus mercatores avaros potest excludere; &* si neque *illa mundi* pars *quæ* fervidis

dis caloribus *inter duos Tropicos* inclusa est, *torrida, inquam, zona,* nec mundi *pars altera, alterumq;* latus *quod* Boreæ *& Septentrionali vento frigidißimo* finitimum *& vicinum est*, & nives *in climate illo frigidißimo perpetuo* gelu *& frigore in cristallum* duratæ *& coactæ, & deniq; si neq; ignis, neq; nix & glacies avarum* mercatorem *à se pellit* & abigit, *quin ex omnibus terræ partibus opes accumulet, adeoq; si* nautæ *ad lucrum faciendum docti,* callidi, *& periti* horrida, *timenda*, *& aspera* æquora vincunt *& superant.* *Nimirum cives Romani quidvis potius perpeti volunt, quàm fortunæ tenuitatem & mediocritatem:* & paupertas *qua apud Romanos* magnum opprobrium, *extremum dedecus & flagitium esse reputatur, illa ut evitetur*, quidvis & facere & pati, *& extrema quæq;* experiri jubet, & viam virtutis arduæ, *difficilis, & asperæ, dū pecuniæ accumulādæ inhiamꝰ*, deserit, *omniq; honestati valedicit. Quâ igitur tandem ratione hæc tot & tanta mala emendabimus? nimirum si ab auro & argento omnium malorum principio, & fomite nos liberabimus. Quare si nostrorum* scelerum benè *nos* pœnitet, *si nos ex vitæ nostræ per flagitia transactæ pænitentiâ verè emendare voluerimus, tunc* nos gemmas *& preciosos* lapides, & aurum, *argentumq;* inutile, *quæ nullam majorem utilitatem præstare possunt, quàm quævis alia terræ gleba*, summi, *inquam*, mali *fomitem &* materiam, vel in Capitolium, quo clamor, *turbæ applausus, & strepitus popularis illam munificentiam approbans aliquem* vocat, & faventium *ac laudantium* turba *invitat,* mittamus, (*ut scilicet si non religionis, saltem gloriæ causâ illud faciamus*) vel in proximum mare *Tyrrhenum illud conijciamus, & immergamus. Sic enim avaritia exstirpanda est, &* pravi cupidinis *& inexplebilis habendi desiderij principia &* elementa *funditus* eradenda *& radicitus tollenda & evellenda* sunt; & teneræ nimis *puerorum* mentes *à primâ pueritiâ sanioribus disciplinis &* asperioribus studijs, *corrigendæ, imbuendæ, &* informandæ *sunt; Vt nempe discant paucis contentæ vivere, non majorem famem habere, quàm ventrem, nec avariciæ, omniumq; malorum semina una cum lacte nutricis hauriant. Certè puerorum educatio omnis Reipub. basis & fundamentum est. At verò nostri Romanorum pueri longè alijs studijs jam exercentur, nempe qui campestribus armis & exercitijs non amplius ad corporis robur & labores informantur, sed inutilibus aut perniciosis ludis imbuuntur & exercentur.* Nam puer *ingenuis parentibus ortus,* ingenuus *& liberalis exercitiorum in campo*

Martio jam rudis *& ignarus est*, nescitq; *in* equo hærere, *aut equitare, venationem etjam exercere* & *lupos aut apros* venari timet *& reformidat. Longè nimirum* doctior si jubeas *ipsum* trocho, *ludo* Græco, *& ab exteris invento* ludere; seu mavelis *ipsum ludere* aleâ, *socijs, & hospitibus fallendis comparatâ, & majorum* legibus, *non injuriâ,* vetitâ *& interdictâ. In hujusmodi enim quæ ad lucrum & avaritiam spectant exercemur, & palmam poßidemus. Nam filius aleâ ludere paratus est;* cum *interea* patris fides perjura *& sublesta* socium *suum* consortem & hospitem *advenamq; ejusdem condicionis in damno & in lucro in permutandis mercibus* fallat *& circumscribat,* & heredi *suo aleatori* indigno *immensam* pecuniam properè *& festinanter* accumulare studeat, *illumq; celeriter collocupletare;* scilicet *his fabris patrimonia* crescunt, *hisce artificibus* improbæ divitiæ, *& opes improbitate partæ accumulantur; &* tamen *illis avaris quorum cupiditatis sitis nunquam expletur, nescio* quid rei, (*quamvis immensa sit*) *ex avari judicio tamen* curtæ *& imminutæ* semper abest *& deest.*

ODA XXV.

AD BACCHUM.

Se ejus instinctu mirabilia de Augusto dicturum.

O Bacche *quorsum tu me* rapis tui *numine & munere* plenum *concitatum & afflatum, & tuo divino furore correptum? quo autem tu me adigis? quorsum autem ego Horatius abripiar,* qui mente nova, *insuetâ & plus quàm humanâ novo numinis divini instinctu raptâ & concitatâ* velox *expeditus & attonitus per violentiam excitor? In quas autem solitudines & secessus,* in quæ nemora *& sylvas,* aut in quos specus, *in quæ antra & loca subterranea furiosus* agor *& impellor? Nimirum in* quibus *locorum solitudinibus &* antris *secretis ego eximium aliquod carmen* meditans *illum mundi imperatorem celebrare, &* egregij *Augusti* Cæsaris æternum decus, *gloriam, & majestatem laudibus ad cœlum & sidera referre, illumq;* stellis inserere &

Iovis

Iovis consilio *ut cum reliquis Dijs cum Iove consilia agitet & deliberet, à posteritate* audiar. *Atq; adeo vos posteri attendite*; dicam *enim non res communes, aut vulgares, omniumq; sermone usurpatas, sed* insigne *quid &* recens, *&* adhuc *novum à nemine usq; adhuc tractatum*, & ore alio nondum dictum. *Certè ego divini numinis instinctu mirum in modum perculsus sum. Nam* non secus *aliqua Baccha* Evias, *propter furorem vigilans, agitata, &* exsomnis, in jugis *& montibus discurrens &* Hebrum *Thraciæ fluvium currendo* prospiciens, & Thraciā *propter frigiditatem montanæ regionis* nive candidam, & Rhodopen *Thraciæ mōtem* barbaro *Thracum* pede lustratam *& peragratam, prætervagans* stupet *& attonita discurrit*; Atque mihi *Horatio more furiosi vago*, devio, *& erranti fluminum margines, &* ripas nemusque *ab hominibus* vacuum *cum stupore* admirari *& lustrare* lubet. O potentissime *Bacche, qui* Najadum *Nympharum* & Bacharū *sacerdotum tuarum*, quæ *vel* proceras *arbores* fraxinos *tuo numinis instinctu* manibus *radicitus* possum *evertere*, potens *imperator es, ego tuo divino numine afflatus*, nihil parvum, aut humili modo, nihil mortale, *& abjectum de Divo Augusto Cæsare* loquar, *sed divinum aliquod & sublime, & æternâ hominum memoriâ dignum. Nec est quod mihi aliquis objiciat, quod periculosum sit aliquod magni polliceri, quod forte præstare nequeam. Nam ô Bacche* Lenæe *illud* periculum *mihi* dulce *& jucundum est, quippe cum à te* DEO *ducar & instiger: præsertim cum certus sim, me* Deum sequi, qui *&* sibi *& alios quos exornatos cupit* tempora viridi pampino cingit *& coronat*.

ODA XXVI.

AD VENEREM.

Se jam senem amoribus minus aptum esse.

N*Imirum ego Horatius in militiâ amatoriâ miles jam sum emeritus, &* nuper *cum adhuc essem ætate integrâ* puellis *& amoribus aptus* idoneus *& accommodatus* vixi, *strenueq; amori operam dedi, &* non sine *laude ac* gloria *illam amoris militiam* militavi; nunc

nunc *ætate senior amori valedicam, omniaq́ mea* arma *Veneri consecrabo.* Atque *adeo hunc meum* Barbitum bello *amatorio* defunctum, *&* *quasi rude donatum* hic paries *in templo Veneris*, qui lævum Veneris è mari exortæ latus custodit *& respicit mihi autem colenti Venerem à dextra est*, habebit. *Heus vos, ô famuli*, hic hic, *inquam*, ponite *arma mea amatoriæ militiæ, nempe* funalia *nocturno tempore* lucem præbentia, & vectes, *quibus ab amica exclusus, ejus fores & parietes nocte effregi*, & arcus *meas* foribus *nocturno tempore mihi* oppositis *& obstantibus, & me non intromittentibus suo ictu* minaces. O *regina formosissima & jucundissima* Diva *Venus*, quæ Cyprum *insulam tuo numini sacram divitem &* beatam tenes, *regis, & inhabitas*, & Memphim, *Ægypti urbem celeberrimã propter situm loci calidam*, nive *ac frigore* qualis est, in Sythone *Thraciæ monte, etjam tuo numini consecrato* carentem, *tu, inquam, ó* regina *Venus, age* Chloën *illam* arrogantem, *& amatores suos supine contemnentem*, semel *tandem* sublimi *tuo* flagello tange, *vehementiq́ amoris plagâ percute, ut tandem tuo numine domita mitior esse discat.*

ODA XXVII.

AD GALATHEAM NAVIGATURAM.

Deterret eam exemplo Europæ.

N*Avigaturæ tibi, ô Galathea, quid potius faciam, quam ut fausta omnia tibi comprecer. Tu igitur felici auspicio & augurio iter tuum ingrediaris: contra homines* impios *& sceleratos* parræ *inauspicatæ avis* iterum atque iterum canentis *infelix* ómen ducat, & canis *aliqua* prægnans & lupa *crinibus* rava *& fulva à Lanuvino agro in via Appiâ* decurrens, & vulpes fæta *& gravida, aliaq́ auguria mala comitentur.* Serpens *etjam Acontius* institutum iter rumpat *& impediat*, si *illa* per obliquum *& ex transverso alicujus jaculi vel* sagittæ similis *ex arboris ramis sese vibrans* mannos *minores equos, quibus ad navim, veheris*, terruit *& perturbavit. Hæc enim omnia tibi præcavenda & formidanda sunt.* Ego *autem* Horatius *quia* provi-

providus auspex *& peritus aruspex sum*, quid *tibi* timebo *aut quid mea providentia tibi præcavebo.* *Nimirum meis* precibus oscinem *avem* corvum *cantu suo augurium præbentem*, à solis ortu *& à fronte ut appareat, tibiq; felix augurium præbeat*, *permovebo* & suscitabo: antequam *tempestas turbulenta ingruat, quæ te occupare possit*, *& priusquam cornix quæ* avis imbrium, *& procellarum* imminentium *quasi divina vates & præscia avis est*, paludes stantes, *& stagna quieta volando circumeat &* repetat, *ut sese ibi lavet.* *Comprecor igitur tibi omnia felicia & fausta, & opto ut* felix sis, & memor nostri, licet vivas ubicunque *mavis vivere, quàm nobiscum*, ô Galatea, & te nec picus *regius & arboreus tibi* lævus *& à sinistrâ parte apparens*, nec cornix vaga *& errabunda* ire vetet, *nec iter tuum impediat*: *sed tamen valde tibi metuo, deq; tuâ vitâ & salute nimis sum sollicitus.* Vides enim, *ô Galatea*, quanto *ventorum ac maris fremitu ac* tumultu Orion *turbulentū illud sidus* pronus *& ad occasum vergens* trepidet, *omniaq; suo impetu moveat & percellat.* *Neq;* ego *ignarus sum imbrium & tempestatum in mari.* Novi *enim* quid, *& quàm noxius*, ater, *tristis, & infestus* sit sinus *ille maris* Adriæ: *novi etjam* quid *Calabriæ ille ventus ex Apuliâ flans* Iapyx *peccare soleat*, *qui quamvis* albus *& serenus subitum tamen tempestatem plerumq; concitare solet.* *Atq; adeo* hostium uxores, & liberi, *& quicunq; male nobis cupiunt, illi* Austri *turbulentissimi venti exorientis & commoti* cæcos *& obscuros* motus, *nigrasq; tempestates*, & æquoris nigri *noxij & tempestuosi horribilem* fremitum, *& littora maris ac* ripas *fluctuum* verbere *ac impulsu commotas* & trementes sentiant *& experiantur.* *Certè Austro leni, aëriq; læto ac sereno non nimis fidendum est*, *& audaciæ ac temeritas ærumnas & calamitates plerumq; secum comites trahit.* Sic *enim* Europa *regum Agenoris filia, Cadmi soror sua audacia ac temeritate in maximas calamitates incidit.* *Illa enim* niveum *speciosissimi sui corporis* latus doloso *ac fraudulento* tauro, *(in quem ipse Iupiter sese converterat) nimis audax* credidit *& commisit, & una cum virginitate ac pudicitia patriam ac parentes* amisit & *perdidit: & illa quæ antea* audax *& imperterrita fuit, postea timore* expalluit, *postquam in dorso tauri per mare vecta* Pontum *marinis* beluis *plenū ac* scatentem, & fraudes *dolosq;* medias *in quibus constituta fuit, aliaq; pericula in quæ decepta audacius sese conjecerat, animadvertit.* *Europa enim quæ* nuper, *imo paulo ante die præterita more virginum* florum studiosa

 fuit,

fuit, *rosasq;* *sedulo* in pratis *colligebat*, & *mira* opifex *fuit* coronæ *ipsis* Nymphis *ex voto* debitæ *& promissæ* : *illa ipsa nocte sequenti* sublustri *paulo admodum lucente*, *dum tergo bovis per Pontum vehitur* nihil vidit præter astra, & *præter* undas, *circa & supra se*. *Nimirum* quæ *Europa* simul *in Iovis patriam pervenit*, *& postquam* Cretam centum oppidis *nobilem ac* potentem tetigit, *tum miserabilem lamentationem*, *& flebiles querelas instituit*, & dixit : ò pater, *qui* nomen *es* à *me filiâ per temerariam audaciam* relictum *& desertum* : *ó* pietas *patriæ*, *& parentibus debita insano tauri amore ac* furore victa *& postposita!* *quomodo ego tantum scelus admittere potui?* unde *veni*, *&* quo veni? *unde abij & quo feror? quomodo à patre ad hunc raptorem perveni? certe à me peccatum admissum majus est, quàm ut unâ morte puniri satis queat, &* una mors levis est, *unumq; supplicium nullius momenti tantæ* virginis culpæ *expiandæ*, *nempe quæ parentibus inscijs & relictis pudicitiæ jacturam fecit, corpusq; suum turpissimè cum alio commiscuerit. At verò ego dolore attonita & stupefacta, vigilone ac dormio? hoccine verè mihi contigit, an verò species quædā falsa insomnis sese mihi obijcit?* vigilansne *hoc* turpe *scelus ac flagitium* commissum *ego* deploro? an *verò falsa quædam & vana somnij* imago, quæ *non per portam corneam*, *unde vera insomnia prodeunt sed ex* porta eburna *unde fallacia ac* vana *insomnia proficiscūtur*, somnium *mihi adducit*, *me Europam* ludit, *& decipit*, *idq; quæ hujusmodi facinus non admiserim* vitijs carentem? *At heus tu*, *miserrima Europa*, *cum ante actam vitam & felicitatem memoria repetis*, meliusne *ac satius* fuit per longos fluctus, *& horrendum pontum transire?* an *verò in regno patris manere*, *ibiq;* recentes flores carpere *& coronas nectere* : O si quis mihi nunc juvencum *illum*, *per quem infamia mihi oblata est*, infamem *& sceleratum* dedat, *meæq; potestati ac* iracundiæ *permittat! nimirum omnem iram in ipsum evomere cupiam*, & cornua tauri modo *atq; adeo paulo ante* multum *à me* amati, ferro frangere *ac* lacerare, *& omnino diripere ac discerpere coner ac* enitar. *At verò quæ hæc mea inaudita & incredibilis malitia, quæ vivere adhuc sustineo, & mortem differo? certè* impudens *ego fui quando* patrios *Lares &* Penates reliqui, impudens *sum*, *dum ulterius adhuc vivo*, *meamq; mortem &* orcum moror, *mihiq; statim manus non infero*. O si quis es Deorum *immortalium qui* hæc *verba*, *hasce lamentabiles querelas audis & animadvertis*, utinam *ego* nuda *& omni auxilio humano destituta*, in-

ta, inter *medios* leones & *Tygres* errem, *ab eisq; delaniata ac descerpta devorer! Nimirum mortem ulterius differre nolo, inq; hâc florenti ætate debitum leonibus pabulum objectare gestio, egoq; adhuc* speciosa & *ætate integra* Tygres pascere, *ijsq; me devorandam offerre* quæro, antequam turpis & *senilis* macies *formosas* & decentes *malas* occupet, *mihiq; Europæ quæ Tygribus* tenera præda *futura sum*, succus defluat & *decedat. Quid tu autem cunctaris? nam* & *ipse* pater *tuus* (*qui tibi* Europæ vilis *fuit,dum præ tauro ipsum contempsisti*) *ille* absens urget *ac stimulat te, ut moriaris. Quænam hæc tua ignavia, cum mortem tibi consciscere differs*, & quid mori cessas? potes *enim* ab hâc orno *arbore cingulo* & zonâ *tuâ quæ* bene *ac oportunè in hunc usum* te sequuta *est, ut ea* collum *tibi obstringas, animamq; intercludas*, pendulum *tuum collum* lædere *ac elidere.* Sive *potius* rupes & *scopuli* & saxa læto acuta, *velociterq; hominem interimentia, ex quibus* & *in quæ te præcipites, te potius juvant* & delectant. Age veloci & *rapido* procellæ te *committe*, & *in mare procellosum te conjice præcipitem*: nisi *fortaßis tu, ô Europa, cum Agenoris regis Phœnicum filia* regius sanguis *sis mortem vitare* vis, *inq; servitutem redigi*, & herile *imperium* & pensum *ab herâ imperatum* carpere, & *lanam in fila ducere*, & barbaræ *alicui* dominæ tradi, *cujus tu propter pulcritudinem* pellex *sis*, & *à quâ miserrimè tracteris. Hisce lamentationibus* & *querelis Europæ, ipsiq; miseræ miserabilem in modum* conquerenti & *lamentâti, deq; mortis genere secum deliberanti alma* Venus perfidum & *dolosè* ridens, *ejusq;* filius *Cupido*, arcu, *non ut prius tenso, sed laxo* & remisso (*quippe qui Europæ virginitatem expugnarat*) aderat. Mox *postquam illam* satis diu lusit & *vexavit, illamq; suas calamitates diu conqueri passa est*: *tandem* dixit: *ô Europa, age tandem desine lamentationum* & *querelarum*, & abstineto iracundiæ & rixæ, *litis ac comminationis*, cum taurus *ille adeo* tibi invisus *se tibi offeret, suaq;* cornua *tibi* laceranda reddet: *age clementem te erga illum gere, nec irata ipsi facias quod interminata es. O demens! an* nescis *quod* invicti & *omnipotentis* Iovis uxor sis, & *omnium mulierum longè beatißima. Quin tu* singultus, *ejulatus*, & *lamentationes muliebres* mitte & *relinque*, & magnam fortunam; immensam *felicitatem*, & *infinitam hanc beatitudinem* bene ferre, & *post res secundas non insolescere* discas. *Nempe* or-

bis terrarum sectus, & terræ pars ab Asia & Africa reliquis mundi partibus divisa tua nomina ducet, & ab hoc eventu Eventu Europa appellabitur.

ODA XXVIII.

AD LYDEN.

Diem Neptuno sacrum hilariter esse exigendum.

CÆcubum nobilissimum vinum multis annis in cellâ promptuariâ servatum & reconditum, ó Lyde, strenua largiter & copiosè ad lætitiam ut bibam depromе. Quid enim hoc festo Neptuno die potius faciam (quippe cum ille jucundis voluptatibus & festivitatibus dicatus sit) & omni gravitati, sobrietati, & frugalitati, & toti deniq; sapientiæ contra voluptates custoditæ ac munitæ vim adhibe, omnesq; severas curas & disciplinas adversus voluptates expugna. Quid autem tu hujusmodi voluptates differs & moraris. Certe tu meridiem jam inclinare, solemq; ad occasum vergere sentis & animadvertis, ac interea tamen perinde tanquam volucris & velocissimè præteriens dies, tanquam ille stet & nunquam finiatur parcis exhorreo viniq; Apothecâ celeriter & sine mora deripere & depromere, amphoram Bibuli consulis nomine signatam, tot annis cessantem & reconditam, nihilq; agentem, & otiosam, utpote ex quâ nihil depromptum fuit. Quin igitur move te, & ad hanc festivitatem præpara, ne nobis in mora sis. Nos autem hoc die festo invicem alternis vicibus canemus, ego quidem Neptunum in diei festi honorem, & Nerei Doridosq; filiarum Nympharum marinarum virides & cæruleas comas canam: tu verò, o Lyda, tanquam Psaltria curvâ tuâ lyrâ Latonam tergeminam ejusdemq; filiæ Dianæ in Cynthо Deli monte natæ, tanquam velocissimæ & celeris venatricis spicula decantabis. Ipsa etjam Venus quæ Cnidon Cariæ civitatem & Cycladas Insulas sibi sacras tenet, & incolit, & Paphon Cypri urbem curru ab oloribus junctis vecta circumit & invisit etjam summo ultimo & extremo carmine à nobis cantabitur. Ipsa quoq;

nox

nox aliquo carmine sibi debito & nænia promeritâ somnolento aliquo cantu à nobis dicetur & laudabitur.

ODA XXIX.

AD MÆCENATEM.

Quem invitat ad cænam.

Generosissime equitum Romanorum Cilni Mæcenas regum Thuscorum, aut Tyrrhenorum antiquissima stirps, & progenies jam dudum apud me omnia ad futurum convivium instructa & parata sunt; tibiq́; domi meæ, mite, lene, ac vetustate domitum merum, idq́; in cado aliquo antehac nunquam inverso ad vinum depromendum, in promptu est, idq́; cum flore rosarum, quibus apud me coroneris; & ex balano oleum vel unguentum expressum tuis capillis apud me inungendis & imbuendis. Quin igitur tu, ô Mæcenas, te rebus, curis, ac negotijs gravioribus, quæ te remorari ac detinere possunt, eripe & moræ te expedi & libera; teq́; aliquando amœnitate agri Sabini apud me recrea: Ne scilicet in hortis tuis ex turribus altis in illis constructis semper contempleris Tibur illud vicinum opidum, propter aquas stagnantes udum & humidum, & arvum Aesulæ oppidi in declivi colle positi, & juga opidi Tusculi, quod à Telegono Circes & Vlysses filio conditum est, qui parricida quod patrem suum Vlyssem per imprudentiam interemisset hic profugus civitatem condidit. Age tu, ô Mæcenas, fastidiosam illam omnium rerum copiam & abundantiam domi tuæ quæ tibi apud te satietatem & fastidium affert, aliquandiu desere & molem illam ædium tuarum turritam & in sublime extructam, atq́; adeo arduis nubibus vicinam & propinquam relinque, & divitis beatæ & opulentæ Romæ ambitionem arrogantiam, auram popularem, aliosq́; ventos ac fumos opesque & immensas divitias & tumultum strepitumque in urbe assiduum aliquandiu admirari desine & omitte. Plerumque enim fieri solet ut hujusmodi varietas & vicissitudines divitibus gratæ sint, ijsq́; tædium discutiant, & mundæ ac frugales pauperum cœnæ sub lare parvo, in exiguis domibus, idq́; sine aulæis, tapetibus, & Tyrio ostro,

liaq́ magnâ pompâ, ipsis divitibus non raro tristem, ſollicitam, *& in rugas contractam* frontem explicuerunt, *& complanarunt, omnesq́ curas, omnemq́ tristitiam discusserunt. Quippe hæc anni tempus est, quo longè satius sit ruri, quàm in urbe vivere.* Iam *enim* clarus *ille* Æthiopum rex Cepheus Andromades pater *inter sydera collocatus* ignem *atq́ calorem corporibus noxium* ex occulto *lædentem* oſtendit, *& exserit, & cum sole oriens maximos æstus inducit.* Iam *etjam stella illa Anticanis vel* Procyon *ante caniculam cum sole oritur, suoq́ calore vehementer* furit, *& homines insanos reddit.* Stella et*jam & Sydus* leonis *ardore suo furorem excitantis,* veſani *& morbiferi exoritur;* cum ſol *interea* dies *sine pluviâ* ſiccos *& calidißimos excitet &* referat. Iam paſtor cum grege *suo* languido *& fatigato propter æstatis vehementiam* umbras *ad calorem evitandum captat,* & *calore* feſſus *& pænè exanimatus aliquem* rivum *ad bibendum vel sese proluendum, petit; &* horridi *agrestes & hirsuti* Sylvani *nemorũ Dei* dumeta *& spinas ut calorem effugiãt* quærunt, & ripa *littoraq́ maris jam* taciturna, *nulloq́ fluctu permota* ventis *omnia permoventibus, omniaq́ pervagantibus* carent. *Interea tu, ô Mæcenas, tanquam urbis custos & præfectus de tuis curis nihil remittis, & sollicitè* curas quiſnam ſtatus civitatem *Romanam* deceat, *in quo Respublica felix & beata sit,* urbique *nimis anxius &* ſollicitus times, *&* quid Seres *Scythiæ Asiaticæ populi,* quid Bactra *Scythiæ provincia ultra Aßyriam, quondam à* Cyro regnata, & *quid deniq́* Sarmatæ *& Scythæ* apud Tanain *& Mæotidem paludem inter se* diſcordes, *contra Romanos* parent *& moliantur, curas & cogitas.* O *Mæcenas hujusmodi quæ futura sunt hominibus incerta & incognita præsciri nec possunt, nec debent; nam* prudens *ille & providens* DEVS futuri temporis *finem* exitum *& eventum* caliginoſâ nocte, *& densis ignorantiæ tenebris* premit *includit & detinet,* & ridet ſi *quis hominum* mortalis ultra *quam ipsi* fas *& licitum est, de futuris* trepidat, *anxiusq́ & sollicitus est. Tu verò si me audis illud* quod adeſt *& præsens est* æquo animo *ac mente* componere *& moderari* memento, *& rebus præsentibus quæcunq́ etjam illa sunt gaude & delectare.* Cætera *quæ futura sunt casus & fortunæ arbitrio* inſtar fluminis feruntur, *& interdum placida & quieta sunt, interdum tristia & adversa. Nam quemadmodum Tybris,* interdum cum pace, *leniter, placidè & tranquillè extra ripas non excurrens, sed in* medio *suo* alveo *manens,* in Hetruſcum *vel Tyrrhe-*

num

num mare *devolvitur ac* delabitur: interdum *autem* cum fera *&* *vasta* diluvies, *& ingens aquarum inundatio* amnes *placidos &* quietos irritat *& provocat & iracundos quasi facit, utq; ripas suas exsuperent impellit, secum violenter* unà voluit *& rapit excavata rupium saxa, &* lapides adesos, & stirpes *arboresq; cum radicibus ex terrâ* raptas, & pecus & domos *ipsas, idq;* non sine *ingenti* montium & vicinæ sylvæ clamore, *fragore, & tumultu: sic etjam omnia futura sese habent, interdum læta & jucunda, interdum impetuosa & formidabilia.* Ille *autem homo* sui potens *est, suique arbitrij* lætus *& beatus* vivit, *qui animum advorsus omnes futuros eventus benè conformatum & præparatum habet, &* cui licet dicere: Ego in diem vixi, *in rebus præsentibus, & ex tempore, non sollicitus quid cras futurum sit.* Tu, *ô Iupiter Deorum & hominum* pater *crastino die ipsum cæli* polum vel atrâ nube, vel puro sole occupato. *Sive enim serenitatem sine nubila adducas, quicquid tibi placuit, mihi quoq; placebit.* Interea tamen *ita præsentia ordinat, ut optimam sui memoriam futuro tempore relinquat. Nam* DEUS *illud* quodcunque retro est, *jamq; præterijt* irritum non faciet, & quòd hora *mundiq; tempus celeriter* aufugiens semel *invexit & secum duxit, illud* DEUS non aliter fingit, neque infectum reddit. *Intereà adversus fortunam ejusq; varietatem & vicißitudinem egregiè animum suum conformavit, ejusq; varietatem animo æquißimo perfert.* Nam fortuna *quæ lætatur* sævo negotio, *& rebus adversis homines exercere, quæque* pertinax est in ludendo *aliquo* ludo insolenti *vario, novo, instabili & incerto, dum res hominum variè mutat; illa* honores incertos *& instabiles omnesq; opes & facultates variè* transmutat, *&* nunc mihi *clemens &* benigna *est,* nunc alijs *hominibus. Ego autem si vir bonus sum, & adversus hujusmodi probè informatus, fortunam apud me* manentem *mihiq; faventem* laudo *& gaudeo.* Sin *vero* celeres *suas* pennas quatiat *tanquam avolatura: tum illa* quæ *mihi* dedit *& quasi obsignata habebam rursus aperio &* resigno, & *fortunæ reddo, in omnem eventum paratus; Interea in* virtute *præsidium vitæ meæ colloco, eâq; tanquam veste* me involvo & *circūdo, &* paupertatem probam *& cum virtute conjunctam* quæro *& expeto* sine dote *& præmio, & sine rebus & facultatibus externis.* Non *enim* meum est *hujusmodi divitias mihi parare, quibus ablatis lacrumis & mærore conficiar. Non meum est per saxa & per ignes more mercatorum rem*

face-

acere & navigare, & in maris periculis, ſi malus navis procellis Africi venti impulſus mugiat & reſonat ad vota preceſq; hominibus miſeris convenientes decurrere, & cum Neptuno alijsq; Dijs votis paciſci, & pactum inire ne merces meæ ex Cypro Inſulâ Tyroque urbe advectæ per naufragium mari avaro omnia ad ſe rapienti opes & divitias addant. Certè cum alij magnarum rerum periculum adeunt, & cum Dijs paciſcuntur, tunc aura & ventus & geminus Caſtor & Pollux me Horatium parvæ cujuſdam ſcaphæ duobus ordinibus remigum agitatæ præſidio tutum & immunem per Ægei maris tumultus & fluctus feret & perducet. Quod quia longè alia vita, longè aliæ divitiæ meæ, nunquam futurum eſt.

ODA XXX.

Carminum ſuorum gloriam æternam fore.

NImirum ego Horatius opus aliquod Lyricum æternum ingenij mei monumentum futurum exegi & abſolvi, quod quidem durabilius & perennius, quàm ſtatuæ divitum ex ære factæ, & altius ac ſublimius quàm ſtructura, ſtatus, & poſitus ille regalis Pyramidum ab Ægyptijs regibus in ſui ſepulturam exſtructarum, futurum eſt. Atq; adeo quod nec Iovis ira, nec ignis, nec ferrum, nec imber edax, & omnia vetuſtate corrumpens, nec Aquilo maxima iracundia & impotentiâ ſæviens, aut incomprenſibilis vetuſtas & innumerabilis annorum ſeries, & curſus ille mundi temporum & fuga velociſſima, diruere, abolere, & debilitare poſſint. Ego Horatius omnis & totus non morior, & multa imo maxima & potentiſſima mei pars mea mens & ingenium, ejusq; æterna monumenta Libitinam funerum deam, ipſamq; mortem effugiat & evitabit. Nam ego poſtera futurorum hominum laude ſemper renovatus & recens incrementum ſumam, uſque dum imperij Romani æterni futuri memoria futura eſt, & donec Pontifex maximus Idualia celebrabit, & cum tacita verecundia & meticuloſa propter ſacrorum reverentiam & religionem, virgine Veſtali in Capitolium ad ſacra facienda adſcendit. Nam ego Horatius quam-

vis

vis ex humili *& plebeo loco libertino patre natus, tanquam* potens *magnus & excellens vates à posteritate* dicar *& laudabor, quod omnium primus &* princeps Æolium carmen *quale Alcæus scripsit*, ad Italos modos *Rhithmos & modulationes* deduxerim, *idq; in ipsis locis*, quà violens *ille & impetuosus Apuliæ fluvius* Aufidus *murmure suo* obstrepit, & *quà* Daunus *ille rex Apuliæ, in montanâ regione* aquæ *copiâ destitutus &* pauper *olim* agrestium populorum *regnavit & imperavit. Quin igitur tu ò Musa* Melpomene *vindica tibi justos spiritos*, sume *tibi* superbiam *jure tibi debitam, tuisq;* meritis mihi *partam & acquisitam*, *meumq;* caput *lubens ac* volens Delphicâ *aliquâ* lauru *æternùm virenti, & immarcessibili coronâ* cinge *& exorna.*

Q. HORATII FLACCI
CARMEN SÆCVLARE.

Pro Salute imperij Romani.

O *Jovis & Latonæ fili* Phœbe *Apollo*, & Diana *venatrix* silvarum potens *ac domina*, lucidum cæli decus, *omniumq; stellarum nocturno tempore sidera in cælo lucidissima*, qui semper *præterito tempore à me* culti, & *toto futuro vitæ meæ tempore à me* colendi *estis: agite, ò jucundissima cæli ac mundi decora, agite* date *illa nobis pueris & puellis* quæ *hisce diebus festis, hisce ludis secularibus, & hoc* sacro tempore *vos* precamur. *Nimirum* quo *tempore, & quo die secularis festi*, Sibyllini versus *populum Romanum* monuerunt, *nos* virgines *patrimas, pudicas &* lectas, & *nos* pueros castos *nullaq; libidine pollutos* carmen *aliquod* dicere *Iovi, Marti, Veneri, Apollini, & Dianæ, alijsq;* Dijs, quibus septem *urbis Romanæ* colles *Quirinalis, Viminalis, Esquilinus, Cælius*

lius, Palatinus, Tarpejus, & Aventinus placuêrunt, quiq; urbis Romæ, præsides & custodes sunt, & prædixêrunt, tam diu imperium Romanum duraturum, quàm diu ludi sæculares celebrabuntur. O igitur alme Sol, qui tuo numine omnia alis & foves, & lucido nitidoq; curru vectus tuo exortu diem profers & depromis, & itidem tuo occasu diem celas & abscondis, & alio die semper alius nasceris & oriris, & tamen unus & idem semper manes: da precor, ut in universo mundo, nihil majus, nihilq; potentius urbe Româ visere, tuisq; radijs illustrare possis. Tu quoq; ô Diana Ilithyia, sive potius Lucina, sive etjam Genitalis Dea vocari magis probas, quæ lenis, facilis & propitia es ad partus ritè & tempestivo tempore maturandos & aperiendos: O Dea matres gravidas & prægnantes tuo patrocinio tuearis: ô Diva sobolem & liberos salvos & incolumes in lucem producas, patrumque ac Senatorum Romanorum decreta ac Senatusconsulta de contrahendis matrimonijs, & maritandis ordinibus super jugandis feminis, & super lege maritali Papiâ Poppejâ, ut lex illa novæ prolis, ferax & facunda sit, clementer prosperes, tuoq; numine fortunes: ut nimirum hi ludi multis seculis à posteris nostris repetantur, utq; hic certus sæculi orbis ac circulus per annos undenos decies, vel centum & decem in se rediens ter clarâ die, totiesque gratâ nocte hosce cantus sæculares reducat, perq; tres lætos dies, totidemq; jucundas noctes ludos ad quos multi conveniant celebres & frequentes apud posteros referat. Atq; adeo vos, ô Parcæ conservate illud, quod per Sibyllam dixistis, & fatis imperij Romani jam peractis, & felicibus imposterum bona fata adjungite, & eventus prosperos præteritos felici futuri temporis eventu confirmate: ut nimirum illud quod semel à vobis dictum est, & quod stabilis, ratus, & immutabilis rerum ordo & terminus servat, tanquam veraces cecineritis. Sic nimirum imperij Romani majestas æternùm durabit, omniq; felicitate perfruêtur. Vestro igitur numine tellus frugibus & pecore fertilis atq; abundans Cererem propter frugum ubertatem spiceâ aliquâ coronâ donet, & aquæ pluviæ salubres Iovisque auræ, atq; aër serenus & temperatus omnium animalium omniumq; rerum fetus ac fructus feliciter nutriant. Tuq; ô Apollo nullâ irâ aut indignatione in nos sævi, tuoq; telo ac sagittis in pharetrâ reconditis mitis atque placidus nos supplices pueros exaudi. Tu quoq; ô Luna Diana

bicor-

bicornis regina siderum *& stellarum lucidißima*, *nos* supplices puellas *exaudi*, *quod & futurum nihil dubitamus*; *siquidem urbs* Roma vestrum opus, *& per vos facta* est, *tuoque Apollinis oraculo* Iliæ *Trojanorum* turmæ *per mare* Etruscum *navigentes*, *Italiæ* litus *sospites* tenuêrunt, *nempe quæ turmæ tanquam* pars *reliquiarum Trojæ per tuum oraculum* Lares *ac sedes domesticas* & urbem *Trojanam salvo ac secundo* cursu *&* sospite *navigatione* mutare, *aliasq́; sedes habitandas quærere jussa fuit. Nimirum* cui *parti reliquiarum Trojæ pius ille &* castus Æneas, *qui* patriâ *incensâ* superstes *cum paucis evasit*, per ardentem Trojam, sine *ullâ* fraude *& proditionis crimine*, (*ut à quibusdam falso insimulatur*) liberum iter munivit, *tutamq́; effugiendi facultatem dedit*, *& qui Æneas comitibus suis fugiens longè* plura daturus *erat*, quàm *in urbe Trojanâ* reliquerat, *longeq́; firmius imperium pariturus*.
O Dî juventuti *Romanæ ad discendum* docili *& aptæ* probos *& incorruptos* mores *concedite*: *ô* Dî senectuti *civium Romanorum* placidæ *ac tranquillæ* concordiam *pacemq́; elargimini*: *ô* Di Romanæ genti rem *& divitias*, prolem *& genus*, *& omnem majestatem*, omneque decus *& imperium clementer* date. *Porro Divus Augustus Cæsar, & tota domus Iulia*, clarus *ille* sanguis Anchisæ & Veneris, *Æneæ posteritas*, qui *vestrum numen ritè colit*, vosque bobus albis, *dum triumphat*, *sanctè* veneratur, *omni hoste* rebellante prior, *major*, *& superior sit*, *atq́;* imperet, *omnesq́; superbos debellet*, *at contra* in hostem jacentem, *seq́; victum fatentem* lenis *placidus ac misericors inveniatur*. *Vestris enim auspicijs omnes suos hostes subegit*, jamq́; Medus, *Persa*, *ac* Parthus, terrâ ac mari *superatus*, *Augusti vim &* manus potentes *reformidat*, *&* Albanas secures, *& fasces*, *Romanumq́; magistratum ac imperium* timet: jam *formidabiles illi* Scythæ, *qui* nuper *insolentes &* superbi *erant*, & *extremi ac remoti* Indi *mandata*, responsa, *ac imperata à nobis tanquam potentioribus* petunt *& exspectant*: *jam etjam priscum aureum seculum*, *quales Saturni ætate fuit*, *Augusti temporibus revertitur*: jam *alma* fides, & *beata* pax, *felix concordia*, *sanctus* honor, priscus pudor, & *deniq́; omnis* virtus, *antea neglecta & sceleribus hominum è terrâ profligata* redire audet; *omniumq́; rerum* beata *& abundans* copia, pleno cornu *rursus* apparet. *Hic DEVS cujus numine omnia hæc nobis contringunt longè plura & feliciora in posterum*

rum

rum dabit. Et augur ille Phæbus Apollo, qui aureo & fulgente arcu decoratus est novemq; Musis ac Camenis præses gratus & acceptus est, & medicinæ invētor salutari arte corpora ægrotorum morbo defatigata, artusque corporis fessos ac infirmos salutari arte levat & sanitati restituit, si templum illud quod in monte Palatino ab Augusto ipsi constructum est, ejusq; arces æquus placidus ac benignus respicit, tum res Romanas, Latiumque imperium felix & fortunatum futuro tempore in alterum lustrum meliusque adhuc ævum semper proroget, & seculum felicius præbeat: & Diana, si Aventinum Algidumque montem benigna intuetur, & templa, quæ in illis montibus tenet, grata habet, quindecim virorum preces & supplicationes, qui sacris faciendis præsunt, & carminum Sibyllæ curam agunt, clementer curet, sibiq; commendatas habeat, & nostris puerorum ac puellarum canentium votis aures suas amicas & benivolas præbeat. Hic sæcularis carminis finis esto. Nos autem pueri & puellæ, qui canentium chorus sumus, ad laudes Apollinis & Dianæ dicendas doctus, & institutus, hæc, quæ petivimus rata esse futura certâ fiduciâ statuimus & spem bonā certamque domum reportamus Iovem, Martem, Venerem, Apollinem & Dianam, & cunctos reliquos Deos hæc quæ precati sumus sentire, & vota precesq; nostras clementer audivisse.

LIBRI TERTII
FINIS.

HORATIVS

E. LVBINI

575


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm